VITÆ ROMANORVM PONTIFICVM A D. PETRO VSQVE AD CLEMENTEM VIII.

EX PLATINAE HISTORIA in Epitomen redactæ, ac iuxta Onuphrij Panuinij Eremitæ Augustiniani censionem ordinatæ.

His præter alia accesserunt eorundem Pontificum Imagines ad viuum expressæ, labore & industria IOANNIS A GLANO *Leodicensis incisæ.*

LEODII
Ex Officina Henrici Houij
Anno M. D. XCVII.

HVIC OPVSCVLO AD MAIOREM PERSPICVITATEM PRAEMITTVNTVR.

Primùm leges in creando Rom. Pontifice.

Forma & ordo ab illustrißimis Cardinalibus in Pontificis electione seruari solitus, ex Panuinij ad Gregorium Decimum & Clementem Quintum annotationibus.

Index fidelißimus omnium Pontificum, Conciliorum generalium, & Schismatum, annos & durationem cuiusque aßignans.

Tabula omnium Pontificum ordine Alphabetico.

SERmo PRINCIPI
ERNESTO
ARCHIEPISCOPO ET
ELECTORI COLONIENSI
Episcopo & Principi Leodicensi, Monasterienſi, Hildisheimenſi, Friſigen: Administrat: Stabulensi: Comiti Palatino Rheni, Duci vtriuſque Bauariæ, VVestfaliæ, Angariæ, Bullonij: Marchioni Franchimontano: Comiti Loſſen: Longien: Hornen: Dom. ſuo clementiſſimo.

VETVS lex Perſarum fuit, Reges, Heroës, & Principes viros, ſine aliquo munere non eſſe ſalutãdos, legis Perſicæ inſtituto prouocatus, C.T. imagines ac vitas Pontificum Romanorum, à me & ſculptas, proximaſque veritati redditas, & ſcriptas & compoſitas adfero, operis argumẽtum, quod vt dignitati tuæ cõſentaneum, ita patrocinij tui tutelam à te iure ſuo depoſcit, olim olea Palladi, lyra Apollini, ſpicæ Cereri, muneraque alia Dijs conuenientia dicabãtur, vouebantur, offe-

 rebantur,

rebantur, sic maiorum exemplo homines quibus gliscit animus, Princeps, & Mœcenates suos literis vel monumentis decorare, quod cuique conueniat propius despiciunt. Videmus Hectorem ab Aiace, baltheo, ense verò Aiacem ab Hectore donatum, ego, vt par est, Ser^mo Electori, Antistiti, Heroi & Hero meo clementissimo, Romanæ Ecclesiæ filio (cuius & Legia filia) & fortissimo adsertori, atque assiduo vindici, Pontificia hæc dico, voueo, offero, hoc vnũ demissè postulans, vt qua solet alienos labores humanitate, pari, meos suscipere non grauetur. Quod si C. T. opus meum probari sciam, à paucis sanè Ser^me Princeps metuam improbari, sperans cuẽtnrum quod de Domitio Seuero scripsit olim Apollinaris: *Hic si te probet, omnibus placebis.*
Leodici 6. Id. Decemb. 1596.

V.C. addictissimus clientulus
Ioannes à Glano Leodius.

IN HAS ROMANORVM PONTIFICVM EFFIGIES, Ioan: Polit: Leod: I.C:

Aspicis ingentem fato consistere ROMAM,
Perq; tot assultus tollere ad astra caput?
CAESARIBVS *Sedem illa dabat sublimis, & idem*
Imperio limes Vrbis & Orbis erat.
Illa tamen subijt crudelia iussa Neronum,
Et timuit vires sanguinolenta suas
Sanctior auspicijs rerum nunc vertitur ordo
Et summo attingit vertice Roma Deos.
Quæ prius intumuit populis dominata superbis
Nunc animas humiles ducit ad astra potens.
Cernito tot Patrum viuos læto agmine vultus
Sculptoris quas dat, nobilis arte manus!
Ille diu Gallos Latias lustrauit & vrbes
Virtutum iuuenis carpere doctus iter.
PONTIFICES *saluete sacri quos Numine dextro*
Constituit terris prouida cura Dei.
Non interrupto succeditis ordine CHRISTO
Vnus amor vobis, LEX, DEVS, *vna* FIDES.
Vos penes Imperium Sacrorum, & summa potestas,
Vos penes ætherei pandere regna poli.
Exere septenos veneranda AVSONIA *montes*
Diceris patribus terra beata tuis:
Hinc etiam maior tibi LEGIA *gloria surget,*
Sic tua & artificis fama perennis erit.

AD

AD LECTOREM

PLACVIT semper illud, candide lector, sapientissime dictum, plena ingenui pudoris res est per quem profeceris agnoscere. Nos in hoc qualicunq; cudendo opere, Thomam Costum Neapolitanum & Academicum Florentinum, qui Italico suo sermone argumentum hoc prosecutus est, tanquam viæ ducem secuti sumus, & ad eius ordinẽ, methodũ, breuitatemq; quantum licuit industriam nostram attemperauimus. Verùm quia vir ille doctissimus Italis suis, quibus fere Pontificia omnia sunt comperta & explorata, idiomate vernaculo scribit, ob idque pressius quandoq; & succinctius: visum nobis est fusa magis oratione vti res postulat describere. Ad institutũ nostrum etiam & scopum in quem collineamus, spectare iudicamus nonnulla ab eodem auctore prætermissa, vel breuiter admodum tractata, addere vel explicare, nimirum ea quę Romani Pontificis maiestatem, auctoritatem, eminentemque & supremam in Ecclesia dignitatem exaggerant. Cùm enim Ioannes à Glano incisas à se Pontificum icones in lucem edere vellet, vitam cuiusque illi attexere voluimus, vti nostrates, & maximè rudiores Ecclesiæ Romanæ prerogatiuam cernant: quippe

quæ

quæ vt ante D. Hieronymus epistola ad Damasum scribens: Profligato à sobole mala patrimonio, apud Romanum Pontificem solùm incorrupta seruatur hæreditas; & quicunque extra Ecclesiam Romanam agnum comederit, profanus est.

Sola enim est Ecclesia Romana, quæ de continua successione Episcoporum gloriari potest. Magnum proinde ex tot Pontificum continua serie capient Christiani documentum, vt studiosius & propensius sub Ecclesiæ Romanę obediętia & disciplina sese cõtineant.

Hic succedentium Pontificum cõtinuam legent seriem, eorum mores, decreta. concilia, ætates, schismata, variasque Ecclesiæ vicissitudines. Quæ res magno, ni fallor, erit argumento, rudioribus præsertim qui facile dolis hæreticorum deluduntur, irretiuntur, & à vera religione auertuntur: eoque magis quod apud rudem plebeculam, quæ plus auctoritatis & fidei oculo quàm intellectui, plus opinioni quã Religioni tribuit; de quolibet Pontifice cuius vita & mores ceu in tabella hîc spectanda proponuntur, possumus illud Poętę adijcere:

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Hîc primos eos intuebuntur naucleros, qui D. Petri in vastissimo & procelloso hoc mari nauiculam direxerunt. Hic primos vinitores intelligent, qui vineam, id est Ecclesiam à Iudæa transplantatam in Græcia, & in omni Eu-

ropa inſeruerunt, quę etiam nunc magno cum diuini honoris incremento, & hominū profectu in extremas orbis oras propagatur. Intelligent quibus ceremonijs Deum colebant & placabant, quibus ſacramentis culpas ſuas expiabant, & Deum ſibi demerebātur, quibus ſacrificijs Deo litabant priſci illi Pontifices, quorum labore & vigilantia Religio plantata & propagata eſt. Etſi deinceps eorum animis inſederit adhuc vlla dubitatio aut ſcrupulus, audiant Diuum Ambroſium ſermo. de SS. Nazario & Celſo.

Magni periculi res eſt poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellam diſcutere, & poſt tot manifeſtos duces ſi in errore permanes, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas. Eſt equidem verum, reſque adeò manifeſta, vt nemo poſsit inficiari, inter Pontifices aliquos fuiſſe qui à ſanctitate quæ Pontificiæ dignitati hæreditaria eſſe debebat deſciuerunt & degenerarunt. Sed ea res magnam non habet admirationem. Nam vti mellifluus ait Leo, hæreditas in indigno hærede perſeuerat. Diſcimus etiam hinc verum eſſe quod ait Criſpus Saluſtius, quæcunq; ſunt orta, cadere & aucta ſenescere. Nec quicquam fore tam ſanctè inſtitutū, tam ſolidè ſtabilitum quod aliquando non conſeneſcat, interitumq; patiatur. Deinde imperiū

ijſdem

ijſdem artibus retineri intelligimus, quibus initium partum eſt. Nam S. Sedes Apoſtolica inter tot tamq; barbaros & immanes perſecutores, nulla armorũ vi, nullis externarum rerũ præſidijs fulta, ſed inſigni pietate & præſtante doctrina tantum ſubnixa creuit, & ad tam ſublime faſtigium peruenit, vt teſte B. Leone longius præſideret religione diuina quã dominatione terrena, & quamuis Roma multis aucta victorijs, longe lateq; fines imperij protulerit, minus tamen eſt quod illi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit: & bene B. Proſper contra Pelagianos cecinit:

Sedes Roma Petri quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundi, quicquid non poſsidet armis
Religione tenet.

At dum virtutis ſtudium deferbuit, ſeueriorq; diſciplina per luxum & molliciem eliminata eſt, Diuini honoris zelus ambitioni, ſyncera electio turpi ſuffragiorum nundinationi ceſsit, tum Apoſtolica ſedes magis fuit vt ita dicam, occupata quàm poſſeſſa, onerata potius quàm honorata, & quæ ſupra modum accenſa lucere debuit ad ſubditorum eruditionem extincta nihil præter tetri odoris fumum exhalauit ad multorum offenſionẽ & infectionem. Inſuper ex hac morum varietate verũ eſſe conſtabit quod ſapienter dici cõſueuit: *non viro magiſtratum, ſed magiſtratui virum* decus & auctoritatẽ conferre. Etenim Ro-

mani Pontifices qui sanctitatem egregiamque eruditionem pietati coniunctam retinuerunt, vniuersæ Ecclesiæ magno fuerunt adiumento, Principibus viris in vtraque forma præsidio, Clero honori, impijs & facinorosis formidini. Qui verò à diuinarum legum iugo colla subduxerunt, omnemque vitæ splendorem inani fastu & turpi luxu deturpauerunt, illi regibus & principibus fuére contemptui, Clero inuisi, populo exosi & ridiculi, Deo sic disponente vt testatum faceret quàm ex diametro sibi opponerentur & ab officio longè recederent. Postremò, vt breuiter dicam, tam varij inter summos Pontifices meritorum gradus, nostræ vtilitati, & sanctorum Pontificum dignitati magnum afferet momentum. Nam sicut in tabella candor nigrorem deprimit, & ab aspectu nostro longius abiungit: vice versa à nigrore candor eleuatur, ac velut è tabella prosiliens obtutibus nostris se subijcit & ostentat, ita in tam longa tot sæculorum serie, plurimi in summo illo gloriæ & honoris theatro Pontifices præfulsere, quorum vitam heroicam egregios pro Catholica Ecclesia labores, & præclara facinora dum intuemur acriter oculos nostros perstringunt & deriuent, ne aliorum turpitudinē spectemus, aut vt eam quàm minime moremur. Ex aduerso si in vitiosi Pontificis vitam oculus noster incurrat, tum naturæ nostræ ad vitium pronitatem non tam

damna-

damnamus quàm admiramur integerrimam tot sanctorum Pontificum virtutem & animi magnitudinem, qui quanquam, vt vult Bernardus, periclitatur castitas in delitijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, caritas in hoc sæculo: Sic tamen sapienter vitæ suæ rationes & consilia temperarũt, vt in se ipsis consisterent, non infra se deijci, nec supra se attolli, nõ euadere in longius, non extendi in latius potuerunt. Hinc post quosdã fastuosos & impuræ vitæ Pontifices, illustriores redduntur nostro sæculo Pij, Gregorij, & Clementes.

LEGES

LEGES PRAECIPVAE

QVAE IN COMITIIS ET electione Romani Pontificis obseruari debent. Ex Onuphrij ad Gregorium Decimum annotationibus.

I. *VT noui Pontificis comitia habeantur, loco idoneo, vbi Pontifex præcedens cum sua curia residens, causarumq; & literarum Apostolicarū audientiam habens, mortuus fuerit. Quod si in villa, pago, aut oppido obierit & propterea cõmodè ibidem comitia haberi nequierint, in vrbe in cuius dioceſi villa, pagus vel oppidum fuerint, habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore vrbe non interdicta ipſa electio fieri debet. Si verò ipſa audientia alio loco fuerit, tunc non vbi Papa obierit, ſed vbi eadem audiẽtia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur Gregorius X. & Clemens V.*

II. *Vt mortuo Pontifice, comitia nõ habeantur, niſi ad minus decẽ dierũ ſpatio interiecto quo tempore, & Cardinales abſentes, expectari, et nouendialia demortui Põtificis per Cardinales præſentes celebrari debet.*

III. *Vt Cardinales oẽs quauis ratione à cõclaui abſentes, nullũ ferendorũ ſuffragiorũ ius habere poſſint.*

IIII. *Vt non ſolùm Cardinales abſentes, ſed & omnes cuiuſuis ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem creari poſſint.*

V. *Vt finitis nouemdialibus, ſacriſq; die decimo ritè ſancto ſpiritui factis omnes Cardinales, qui adſunt*

(*ſiue*

(*siue absentes venerint, siue non*) *in palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto vndique clauso, ac optimè custodito, quod conclaue vocant, recludantur, cum duobus tantùm, vel, vt nunc consuetudo est, tribus, aut quatuor famulis, qui eis necessaria subministrent, quo in loco comitia habeantur. Nec alicui praterea fas sit locum ingredi, vel egredi, nisi infirmitatis causa, certis quibusdã hominibus, quorũ opera in conclaui existentibus maximè est necessaria. Is porrò locus conclauis nullum intermedium parietem habeat, sed omnes Cardinales in cellulis suis laneis distinctis pannis ipsum inhabitent in communi.*

VI. *Vt locus & portæ conclauis diligentissimè custodiantur, si Romæ electio habeatur, primùm à prætorianis, deinde à regulis Romanis, & oratoribus principum sacramento prius astrictis, demum in loco ostio conclauis proximiore ab Episcopis, & conseruatoribus vrbis. Si autem extra vrbem comitia hæc habentur, à loci eiusdẽ dominis temporalibus, eode iuramẽto fidelitatis obligatis. Quorum munus est cõclaue custodire, & diligenter cauere, ne quid conclaui inferatur, seu exportetur, quo minus legitima suffragia ferri possint atque singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos, & prouidere, ne quid detrimẽti patiantur Cardinales, omnibusq; ipsorũ nutibus presto esse ac eligere Pontificẽ differẽtes ad maturandi arctare. Milites verò prætoriani, ac regulæ Romani conclaue ab omni impressione tutũ reddere debet.*

VII. *Vt Cardinales conclaui egredi nulla ratione possint, nisi Romano Pontifice creato, quod si re infecta*

egresso

egressi fuerint ab his qui conclauis custodiæ præsunt, iterum ingredi cogi debent.

VIII. *Vt Cardinalibus venientibus post ingressum conclauis & ante Papæ creationem, potestas sit conclaue ingredi, & cum cæteris suffragia ferre, nullusq; Cardinalis quauis occasione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus, ab electione ipsa arceri possit.*

IX. *Vt post triduum ingressus conclauis, nisi Pontifex renuntiatus fuerit, Episcopi, reguli Romani, & qui conclauis custodiæ præsunt, maximam in epulis, & cibis quæ Cardinalibus inferantur rationem habeant, & illis non nisi ferculum vnum inferri permittant.*

X. *Vt in comitijs habendis sub anathematis pœna, nulli fas sit aut largitione vti, aut quicquam polliceri, aut prensare, siue ambiendo, animos Cardinalium sibi in noua creatione deuincire. Quo interim tempore Cardinalibus nulli alij negocio vacandi ius potestasq; sit, vt electio maturetur.*

XI. *Vt nemo Romanus Pontifex renunciari possit, nisi duarum partium ex tribus Cardinalium in conclaui præsentibus integra suffragia tulerit.*

XII. *Vt mortuo Romano Pontifice, omnes Ecclesiastici magistratus & officia statim cessent, atque à muneribus suis vacent, præter Pœnitentiarium maiorem, minoresq; & Camerarium S.R.E. quorum munera etiam mortuo Papa perdurant. Ex libro 1. Constitutionum Clementis V. Pontificis, titul. de electione & electi potestate. cap. Ne Romani.*

FOR-

FORMA ET ORDO AB ILLVSTRISSIMIS CARDINALIBVS IN ELECTIONE Romani Pontificis seruari solitus: Ex Panuinij ad Clementem V. annotationibus.

PATRES Conclaue ingressi diem integrum sequentem formandis legibus impendunt, ad sanam Romani Pontificis administrationem maxime necessarijs, quibus patrum quisque subscribens iureiurando votoq; promittit obtemperaturum se illis, si Pontifex factus fuerit, his actis, statoquodam die prima comitia indicuntur. Mane autem diei patres omnes induti pallijs à summo deorsum apertis, quas croccias vocant, in capellam vbi corpus Christi asseruatur conueniunt. Ibi diuina Spiritus Sancti ritè sacra celebrantur. Quibus absolutis, suo loco disponunt se per subsellia. Quisque autem quem eligere decreunt in codicillo ante describit, huncq; suo annulo obsignat. Inde tres ex patribus ad altare ascendentes, Decanus videlicet, presbyterorum, & Diaconorum primi, calicem in quo eo die sacra facta sunt, ad medium altaris constituunt custodes ipsi omnium, ac inspectores astantes; Post hac eodem ordine procedunt & reliqui Patres, atque ante altare in genua procidentes, codicillum sigillatim in calicem dimittunt. Id autem postquam ab omnibus factum est, tres illi quos dixi calicem ipsum ad cæteros inferius

ferius considentes, sublatum altius ostendunt, consistentes in subsellierum medio, vnde spectari, & audiri à circumstantibus possint: numerant mox codicillos, quorum, vt conuenisse numerus inuenitur, singuli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac Diacono proximo pronuntiandi traduntur. Patrum quisque papirum tenens, ac pugillare, quos quisque elegit, chirographo annotatus. Nullus autem ex Alexandri III. constitutione pro Pontifice haberi potest, nisi qui duarum partium ex Cardinalibus integra suffragia tulerit. Qui numerus si ex codicillis adimpletur, tum Pontifex creatus est: sin minus liberum est cuique quem voluerit Patrum, non electum à se scripto, voce eligere, quæ electionis ratio accessus appellatur. Rarum est quempiam ex solis codicillis eligi, vocum accessio, conficere totum opus solet. Alius est quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur. Hoc autem est, cùm duæ partes Cardinalium non expectato, vt vocant, scrutinio, sed voce tenus omnium consensu & voluntate quempiam ex Cardinalibus in Romanum Pontificem salutant, atque venerantur.

INDEX

BREVIS ET EXACTVS OMNIVM PONTIFICVM, Conciliorum Generalium, & Schismatum assignans in quem Christi annum, & numquodque eorum incíderit, quot annos duranerit. Item interregni cuiusque Pontificis intervallum.

Annus Christi	Num. & ordo Pontif.		An.	mē ses.	dies
44	1	PEtrus Galilæus, & Apostolorum Corepheus.	24	5	12
57	2	Linus Etruscus Volaterranus, viuente Petro.	11	3	12
68	3	Clemens Romanus post Petrum.	9	4	26
77	4	Cletus Romanus. vacauit sedes	6	5	3
84	5	Anacletus Græcus Athenienſis. vacauit	12	2	10 13
96	6	Euaristus Hæbræus Bethleemitanus. vacauit	13	3	19
109	7	Alexander Romanus vacauit	7	5	19 25
117	8	Sixtus Romanus. vacauit	9	10	9 2

127	9	Thelesphorꝰ Anachoreta Græcus.	10	8	28
		vacauit			7
138	10	Hyginius Græcus Athenienſis	4		
		vacauit			3
142	11	Pius Aquileienſis	11	5	27
		vacauit			13
154	12	Anycetus Syrus	9	8	24
		vacauit			17
163	13	Soter Fundanus	7	11	18
		vacauit			21
171	14	Eleutherus Græcus Nicopolitanus.	15		13
		vacauit			5
186	15	Victor Aphricanus	12	1	28
		vacauit			12
198	16	Zephyrinus Romanus	20		17
		vacauit			6
218	17	Calyxtus Romanus	5	1	13
		vacauit			6
223	18	Vrbanus Romanus	7	7	5
		vacauit			23
231	19	Pontianus Romanus	5	5	2
		vacauit			1
236	20	Anterus Græcus		1	
		vacauit			9
237	21	Fabianus Romanus	14		11
		vacauit		5	21
251	22	Cornelius Romanus	2	2	3

vacauit

Annus Christi	ordo	Pont.	anni.	mēses	dies
		vacauit		2	5
		SCHISMA I.			
252		Nouatianus Romanus schismaticus contra Cornelium			
253	23	Lucius Romanus	1	3	15
		vacauit		1	5
255	24	Stephanus Romanus	2	3	24
		vacauit		1	12
257	25	Syxtus Atheniensis	1	10	23
259		vacauit		11	15
260	26	Dionysius Græcus Monachus	10	5	5
270		vacauit			5
271	27	Fœlix Romanus	4	5	
		vacauit			5
275	28	Eutichianus Etruscus.	8	6	4
		vacauit			8
283	29	Caius Dalmata	12	4	6
		vacauit		2	8
296	30	Marcellinus Roman.	7	9	26
		vacauit		2	2
304	31	Marcellus Romanus	5	6	21
		vacauit			20
310	32	Eusebius Græcus	1	7	27
		vacauit			7
311	33	Melchiades Africanus	3	2	
314		vacauit			17
315	34	Syluester Romanus	20		4
336		vacauit			15

325		*Prima Synodus vniuersalis Nicææ celebrata 318. Episcoporũ*			
336	35	Marcus Romanus.		8	20
		vacauit			20
336	36	Iulius Romanus	14	5	16
		vacauit			25
351	37	Liberius Romanus	15	4	17
		vacauit			6
		SCHISMA II.			
355		Fœlix 2. Romanus sedit in schismate contra Liberium.	10	3	11
366	38	Damasus Hispanus	18	2	10
		vacauit			17
366		Vrsicinus Romanus sedit in schismate contra Damasũ post mortem Liberij & Fœlicis.	1	1	23
		Secunda Synodus vniuersalis Constantinopoli 150. Episcoporum.			
384	39	Siricius Romanus	13	1	25
		vacauit		1	15
398	40	Anastasius Romanus	4		21
		vacauit			10
402	41	Innocentius Albanus	15	2	21
		vacauit			22

Zosimus

416	42	Zosimus Græcus	2	4	7
418		vacauit			1
419	43	Bonifacius Romanus	4	9	28
423		vacauit			9
		SCHISMA III.			
419		EVlalius Romanus in schismate contra Bonifacium		3	7
423	44	Cælestinus Romanus	8	5	3
432		vacauit		1	11
430		*Tertia Synodus generalis Ephesi 20. Episcopor.*			
432	45	SYxtus 3. Romanus	7	11	
		vacauit		1	11
440	46	Leo Magnus Roman.	20	11	2
		vacauit			7
451		*Quarta Synodus generalis Calcedone 630. Episcoporum.*			
461	47	HIlarius Sardus	6	3	10
		vacauit			10
467	48	Simplicius Tiburtin.	15	6	23
		vacauit			6
483	49	Fœlix secundus dictus 3. Romanus	8	11	17
		vacauit			5
492	50	Gelasius Aphricanus	4	8	19
		vacauit			5

Annus Christi	numer. & ordo Pont.		anni.	mēses.	dies
496	51	Anastasius secundus Romanus	1	11	24
		vacauit			2
498	52	Symmachus Sardus	15	7	28
514		vacauit			
		SCHISMA IIII.			
498		Laurentius Romanus in schismate contra Symmachum.	1		
514	53	Hormisda Frusinonis in Campania	9		17
		vacauit			5
523	54	Ioannes Etruscus	2	9	6
		vacauit		1	27
526	55	Felix 3. dictus 4. Samius	4	2	18
		vacauit			3
530	56	Bonifacius secundus Romanus	1		2
		vacauit		3	5
		SCHISMA V.			
530		Dioscorus Romanus in schismate contra Bonifacium			
532	57	Ioannes secundus cognominat⁹ Mercurius			28
		Romanus.	2	4	6
		vacauit			6
534	58	Rusticus Agapitus Romanus		11	19

vacauit

535		vacauit sedes ex morte Agapiti vsq; ad ordinationē Syluerij		6	25
535	59	Syluerius Campanus à consecratione sua	1	5	2
		SCHISMA VI.			5
537	60	Vigilius Romanus creatus in schismate contra Syluerium	17	6	29
553		vacauit		3	5
		Quinta Synodus vniuersalis, & secunda Constantinopolitana 165. Episcoporum.			
555	61	PElagius Romanus	5	10	28
		vacauit		4	15
561	62	Ioannes tertius Romanus	12	11	26
574		vacauit		10	19
575	63	Benedictus Romanus.	4	1	29
		vacauit		4	
579	64	Pelagius secundus Romanus	10	2	10
		vacauit		6	25
590	65	Gregorius Magnus monachus	13	6	10
		vacauit		5	17
604	66	Sabinianus Etruscus	1	5	24
		vacauit		11	25

607	67	Bonifacius 3. Romanus		8	27
		vacauit		10	3
608	78	Bonifacius 4. Marsus	6	8	11
		vacauit		4	23
615	69	Adeodatus Romanus	3	10	27
	70	vacauit		1	16
619		Bonifacius 5. Neapolitanus	3	10	
		vacauit			13
622	71	Honorius Capuanus	12	11	7
		vacauit	1	7	18
637	72	Seuerinus Romanus	1	2	4
		vacauit		1	22
638	73	Ioannes 4. Dalmata	1	9	18
		vacauit		1	14
640	74	Theodorus Hierosolimitanus	6	5	28
		vacauit		4	1
647	75	Martinus Tardertinus	6	1	28
		vacauit		8	28
654	76	Eugenius Romanus	2	9	14
		vacauit		1	17
657	77	Vitalianus Seguinus	14	5	29
		vacauit		2	14
672	78	Adodatus Romanus Monachus	4	2	15
		vacauit		4	6
676	79	Donus Romanus	2	5	10
		vacauit		2	28
679	80	Agatho Siculus Monachus			

Annus Christi	num. ordo	Pont.	anni	mēses	dies
		nachus	2	6	
682		vacauit		7	
680		*Sexta vniuersalis Synodus, & tertia Constantinopolitana 289. Episcoporum.*			
682	81	LEO 2. Siculus		10	19
		vacauit		11	21
684	82	Benedictus 2.		10	27
		vacauit sedes ex morte Benedicti dicti secundi vsq; ad creation. Ioannis Quinti		2	9
685	83	Ioannes 5. Syrus Antiochenus	1		9
		vacauit		2	18
686		Petrus Archipresbyter Romanus sedit aliquot diebus.			
		SCHISMA VII. Theodorus presbyter Romanus sedit in schismate contra Petrum aliquot diebus, vtroq; verò expulso, creatus fuit Conon			
686	84	Conon nat⁹ in Thracia		11	
		vacauit		2	25

Theodo-

		Theodorus presbyter aliquot diebus sedē occupat.			
		SCHISMA VIII.			
		Paschalis Archidiaco sedit in schismate aliquot diebus cōtra			
		Theodorū, vtroq; autē destituto creatur Sergius.			
687	85	Sergius Syrus Antiochenus	13	8	23
		vacauit		1	20
701	86	Ioannes 6. Græcus	3	2	14
		vacauit		11	18
705	87	Ioannes 7. Græcus.	2	7	17
		Non vacauit sedes			
707	88	Sisinnius Syrus.			20
		vacauit		11	16
707	89	Constantinus Syrus	8	1	20
		vacauit		1	10
716	90	Gregorius 2. Roman.	14	10	22
		vacauit		1	3
731	91	Gregorius 3. Syrus	10	8	24
		vacauit			2
741	92	Zacharias Græcus	10	3	15
		vacauit			8
752	93	Stephanus 2. Romanus			4
		vacauit			1
757	94	Stephanus 3, dictus 2.	5		29

vacauit

			anni	mēses	dies
		vacauit			22
757	95	Paulus Romanus	10	1	
		vacauit	1	1	7
		SCHISMA IX.			
757		Theophilactus Roma. Archidiacon. in schismate contra Paulum.			
767		Constantin. Nepesinus laicus, vi & contra canones intrusus à laicis sedit.			
		SCHISMA X.			
768		Philippus Roman. in schismate creatus à laicis cōtra Cōstantinū sedit diebus 5. & ambobus explosis creatus fuit.			
768	99	Stephanus 4. dictus 3.			
		Siculus monachus	3	5	27
		vacauit			9
772	97	Hadrianus Romanus.	23	10	17
		Non vacauit Ecclesia 7. *Synodus vniuersalis quæ fuit & 2. Nicæna* 350. *Episcoporum.*			
796	98	Leo 3. Romanus	20	5	10
		vacauit			20
816	99	Stephanus 5. dictus 4.		6	23
		vacauit			2

817	100	Paschalis Roman. monachus	7	3	17
		vacauit			4
824	101	Eugenius 2. Romanus	3	6	24
827		vacauit			1
		SCHISMA XI.			
824		Zinzinus Romanus creatus in schismate cōtra Eugenium sedit aliquot dies.			
827	102	Valentinus Romanus		1	10
		vacauit			3
828	103	Gregorius 4. Roman.	16		
		vacauit			15
844	104	Sergius 2. Romanus	3	2	3
		Non vacauit			
847	105	Leo 4. Romanus	8	3	6
		vacauit			16
855	106	Benedictus 3. Roman.	2	8	16
		vacauit			15
		SCHISMA XII.			
855		Anastasius 3. Romanus creatus in schismate contra Benedictum, sedit aliquot dies.			
858	107	Nicolaus Magnus Romanus	9	6	20
		vacauit			7
867	108	Hadrianus 2. Roman.	4	11	12
872		vacauit			12

		Octaua Synodus vniuersalis, quæ fuit quarta Constantinopolitana 300. Episcopor.			
872	109	Ioannes 8. Romanus	10		2
882		vacauit			3
		Nona synodus vniuersalis, & quinta Constantinopolit. 383. Episcoporum.			
882	110	Martinus Gallesius	1	1	
		vacauit			2
884	111	Hadrianus 3. Roman.	1	3	19
		vacauit			3
885	112	Stephanus 6. dictus 5. Romanus	6		9
		vacauit			5
891	113	Formosus Portuensis	4	6	18
		vacauit			2
		SCHISMA XIII. Sergius 3. Romanus in schismate contra Formosum sedit aliquot dies			
895	114	Bonifacius 6. Roman.			
		vacauit			15
896	115	Stephanus 7. dictus 6. Romanus	1	2	5 19
		vacauit			3
897	116	Romanus Gallesius		4	23

vacauit

		vacauit			1
897	118	Ioannes 9. Tyburtinus monachus	1		11
		vacauit			1
897	119	Benedictus 4. Roman.	3	6	15
		vacauit			6
902	120	Leo Quintus		1	10
		Non vacauit sedes			
		SCHISMA XIIII.			
902	121	Christophor Roman. in schismate contra Leonem sedit		7	
		Non vacauit			
902	122	Sergius 3. Romanus	7	3	16
		vacauit			5
910	123	Anastasius 3. Romanus	2	1	22
		vacauit			27
912	124	Lando Sabinus		6	22
		vacauit			26
913	125	Ioannes 10. Rauennas	15	2	15
		vacauit			1
928	126	Leo sextus Romanus		6	15
		vacauit			1
928	127	Stephanus octauus dictus septimus Roma.	2	8	15
		vacauit			2
930	128	Ioannes 11. Romanus	4	10	15
		vacauit			1
935	129	Leo 7. Romanus	3	6	10
		vacauit		1	

939	130	Stephanus 9. dictus 8.			
		Romanus	3	4	15
		vacauit			10
942	131	Martinus secundus			
		Romanus	3	6	14
		vacauit			3
946	132	Agapitus Romanus 2.	9	7	10
		vacauit			12
956	136	Ioannes 12. Romanus.	8	4	6
		Non vacauit			
963	134	Leo octauus Romanus	1	5	12
965		vacauit		6	14
		SCHISMA XV.			
964		Benedictus 5. Roman. in schismate contra Leonem.		1	10
965	335	Ioannes 13. Romanus		11	5
		vacauit			13
972	136	Donus 2. Romanus			
		Non vacauit			
972	137	Benedictus 5. dictus 6.			
		Romanus	1	6	
		vacauit			10
974	138	Bonifacius 7. Roman.	1	1	12
		vacauit			6
975	139	Benedictus 6. dictus 7.			
		Romanus	9	1	10
984		vacauit			15
		SCHISMA XVI.			
975		Bonifacius 7. & Be-			

nedictus

		nedictus 6. & Ioannes 14.			
984	140	Ioannes 14. Tinuensis Non vacauit		8	
965		Bonifacius 7. ab Ioanne 14. pulsus de nouo rexit Ecclesiam			
		vacauit Ecclesia		4	6
985	141	Ioannes 15. Romanus vacauit	9	6	10
995	142	Ioannes 16. Romanus vacauit		4	1
995	143	Gregorius 5. Saxo	2	1	6 3
998		vacauit	8		10
		SCHISMA XVII.			
995		Ioannes 17. Græcus in schismate creatus cõtra Gregorium		10	
998	144	Syluester 2. Vasco	4	6	12
		vacauit			25
1003	145	Ioannes 17. Romanus vacauit		4	25 19
1003	146	Ioannes 18. Romanus vacauit	5	8	30
1009	147	Sergius 4. Romanus vacauit	2	9	12 8
1012	148	Benedictus 7. dictus 8. Tusculanus	11	8	21
		vacauit			1
1024	149	Ioannes 19. Tusculanus	8	9	9

		nus, & frater Benedicti vacauit			2
1032	150	Benedictus 8. dictus 9.	12	4	20
		SCHISMA XVIII.			
1045		Siluester 3. Romanus in schismate contra Benedictum.		1	19
1045		Ioannes 20. Romanus creatus in schismate Tribus his Pontificibus exauctoratis & destitutis fuit electus	1		21
1045	151	Gregorius 6. Roman. vacauit	1	7	20 4
1047	152	Clemens 2. Saxo vacauit		9 9	15 7
1048	153	Damasus 2. Bauarus vacauit		6	23 3
1049	154	Leo 9. Lotharingus vacauit	5	2 10	8 24
1055	155	Victor 2. Bauarus vacauit	2	3	16 4
1057	156	Stephanus 10. dictus 9. Lotharingus monachus vacauit		7	28 6
1058		Benedictus 9. dictus 10. Romanus Non vacauit		9	20

***

1059	157	Nicolaus 2. Sabaudus	2	6	25
		vacauit		3	
1061	158	Alexander 2. Mediolanensis	11	6	22
		Non vacauit			
1061		SCHISMA XIX.			
		Honorius 2. Parmensis creatus in schismate contra Alexandrum.	5		
1073	159	Gregorius 7. Etruscus.	12	1	3
		vacauit	1		
		SCHISMA XX.			
1080		Clemens 3. Parmensis in schismate contra Gregorium, & successores.	21		
1086	160	Victor 3. Beneuentanus monachus.	1	3	24
		vacauit		5	23
1088	161	Vrbanus 2. Gallus monachus.	11	4	18
		vacauit			14
1099	162	Paschasius 2. Etruscus Monachus	18	5	9
1118		vacauit			3
1101		Albertus Atellanus in schismate creatus posi Clementem 3. contra Paschalem 2.		4	

Theodo-

1102		Theodorus Romanus in schismate		3	15
1102		Sylvester 3. Roman. in schismate post Theodorum, contra Paschalem 2.			
1118	163	Gelasius 2. Caietanus			
		Monachus	1		5
		vacauit Ecclesia			2
		SCHISMA XXI.			
1118		Gregorius 8. Hispan° creatus in schismate contra Gelasium	3		
1119	164	Calixtus 2. Burgundus	5	10	13
1124		vacauit			1
1123		*Synodus vniuersalis, Lateranensis 997 Episcoporum.*			
1124	165	HOnorius 2. Bononiensis	5	2	3
1130		vacauit			1
		SCHISMA XXII.			
1124		Calixtus 2. Romanus creatus in schismate contra Honorium			
1130	166	Innocentius 2. Romanus	13	7	8
		vacauit			1
		SCHISMA XXIII.			
1130		Anacletus 2. creatus			

		in schismate contra Innocentium 2.	8		
		vacauit sedes aliquot diebus			
1138		Victor 4. Roman. creatus in schismate post Anacletum cõtra Innocentium.	5		
1139		*Synodus vniuersalis, Lateranensis mille Episcoporum.*			
1143	167	CAElestinus secundus Tuscus			13
		vacauit			12
1144	168	Lucius 2. Bononiensis.		11	4
		vacauit			1
1145	169	Eugenius 3. Pisanus monachus	8	4	12
		vacauit			1
1153	170	Anastasius 4. Roman. monachus	1	4	24
		vacauit			1
1154	171	Hadrianus 4. Anglus monachus	4	8	28
		vacauit			
1159	172	Alexander 3. Senensis.	21	11	3
		vacauit			23
		SCHISMA XXIIII.			1
		Victor 4. Romanus creatus in schismate			

contra

		contra Alexandrũ 3.	4	7	
1164		Paschalis 3. Cremensis in schismate	5		
1169		Calixtus 3. Hungarus in illo schismate.	7	5	
1180		*Synodus vniuersalis Lateranensis* 280 *Episcoporum.*			
1187	173	LVcius 3. Lucensis	5	2	28
		Nõ vacauit sedes			
1185	174	Vrbanus 3. Mediolan.	1	10	25
		vacauit			1
1187	175	Gregorius 8. Beneuẽtanus		1	27
		vacauit			10
1188	176	Clemens 3. Romanus.	3	2	26
		vacauit			3
1191	177	Cælestinus 3. Roman.	6	9	11
		Non vacauit.			
1198	178	Innocentius 3. Anaguinus	18	6	9
1216		vacauit			1
1215		*Synodus vniuersalis Lateranensis* 412. *Episcoporum.*			
1216	179	HOnorius 3. Rom.	10	8	
		vacauit			1
1227	180	Gregorius 9. Anaguinus	14	5	
		vacauit		1	1

1241	181	Cælestinus 4. Mediolanensis			17
		vacauit	1	8	15
1243	182	Innocentius 4. Genuensis	11	5	14
1254		vacauit			13
1245		*Synodus vniuersalis Lugduni in Gallia*			
1254	183	ALexander 4. Anaguinus.	6	5	5
		vacauit		3	3
1261	184	Vrbanus 4. Trecensis Gallus	3	2	4
		vacauit		4	7
1265	185	Clemens 4. Narbonensis Gallus	3	9	25
		vacauit	2	9	2
1271	186	Gregorius 10. Placent.	4	4	10
1276		vacauit			10
1274		*Synodus vniuersalis Lugduni quæ & Lugdunensis secunda est.*			
1276	187	INnocentius 5. Burgundus Dñicanus		5	1
		vacauit			19
1276	188	Hadrianus 5. Genuensis		1	7
		vacauit			25

Ioannes

Annus Christi	Num. & ordo Pontif.		Anni	menses	dies
1276	189	Ioannes 20. dictus 21.			
		Lusitanus Vlixponensis		8	8
		vacauit		6	4
1277	190	Nicolaus 3. Romanus	2	8	29
		vacauit		6	
1281	191	Martinus 2. dictus 4. Turonensis Gallus.	4	1	7
		vacauit			4
1285	192	Honorius 4. Roman.	2		2
		vacauit		10	18
1288	193	Nicolaus 4. Picentinus ordinis Minorum	4	1	14
		vacauit	2	3	2
1294	194	Cælestinus 5. Eremita Esemiensis		5	7
		vacauit			10
1294	195	Bonifacius 8. Roman.	8	9	18
		vacauit			11
1300		Hic Pontificũ primus fuit qui Iubilæum instituit & celebrauit			
1303	1	Benedictus 9. dictus 11. Ternisanus Dominicanus		8	6
		vacauit		10	21
1305	197	Clemens 5. Burdegalensis Vasco	8	10	16
1314		vacauit	2	3	17
1311		*Synodus vniuersalis Viennæ.*			

Annus Christi	num. & ordo Pont.		ann.	menses	dies
1316	198	Ioannes 21. dictus 22. Cadurcensis Gallus.	18	3	28
1334		vacauit			16
		SCHISMA XXV.			
1327		Nicolaus 5. ordinis Minorum creatus in schismate contra Ioannem 21.	3	3	14
1334	199	Benedictus 10. dictus 12. Tholosus Gallus.	7	4	6
		vacauit			11
1342	200	Clemens 6. Lemonicensis Gallus monachus.	11	7	
1352		vacauit	10	7	
1350		Hic Pontifex celebrat secundum Iubilæum.			
1352	201	Innocentius 6. Lemonicensis Gallus.	9	8	26
		vacauit		1	15
1362	202	Vrbanus 5. Lemonicensis Gallus monachus.	8	2	23
		vacauit			10
1370	203	Gregorius 11. Lemonicensis Gallus	7	2	27
		vacauit			12
1378	204	Vrbanus 6. Neapolit.	11	6	5
		vacauit			19

Hic

		Hic Pontifex celebrauit 3. Iubilæum.			
1378		SCHISMA XXVI.			
		Clemens 7. Gebēnensis creatꝰ in schismate contra Vrbanū 6.	15	11	18
		vacauit			12
1389	205	Bonifacius 9. Neapolitanus.	14	11	
		vacauit			15
1400		Hic Pontifex 4. celebrauit Iubilæum.			
1394		Benedictus 11. dictus 13 Hispan. in schismate post Clementem 7. cōtra successores Vrbani 6.			
			30		
1404	206	Innocētius 7. Sulmon.	2		21
		vacauit			32
1406	207	Gregorius 12. Venetus.	8	7	5
		Hoc exauctorato in concilio Pisano vacauit			20
1409		*Synodus vniuersalis Pisana.*			
1409	208	Alexander 5. Cretensis ordinis Minorum.		10	8
		vacauit			13
1410	209	Ioannes 22. dictus 23. Neapolitanus	5		15

1415		Hoc Pontifice Constantiæ à patribus destituto vacauit	2	5	10
1414		*Synodus vniuersalis Constantiæ.*			
3417	210	Martinus 3. dictus 5. Romanus vacauit	13	3	10
1424		Clemens 8. Hispanus in schismate post Benedictum 12.	4		11
1431	211	Eugenius 4. Venetus ordinis Canonicorũ Regularium vacauit	15	11	21 11
1439		*Synodus vniuersalis Florentiæ.*			
		SCHISMA XXVII.			
1439		Fœlix 4. Allobrox Eremita creatꝰ in schismate contra Eugenium	9	5	
1447	212	Nicolaus 5. Sarzanensis	8		19
1455		vacauit			14
1450		Hic Pōtifex celebrauit 5. Iubilæum			
145	213	Calixtus 3. Valentinus Hispanus	3	4	
		vacauit			12
1458	214	Pius 2. Senensis	5	11	27

Vac

		vacauit			16
1464	215	Paulus 2. Venetus	6	10	26
		vacauit			14
1471	216	Sixtus 4. Genuenſis Saonenſis	13		4
1484		vacauit			16
1475		Hic Pontifex celebrauit 6. Iubilæum.			
1484	217	Innocētius 8. Genuēſis	7	10	24
		vacauit			16
1492	218	Alexander 6. Valentinus Hiſpanus	11		8
1503		vacauit		1	
1500		Hic Pontifex celebrauit 7. Iubilæum.			
1503	219	Pius 5. Senenſis			26
		vacauit			14
1503	220	Iulius 2. Saonenſis	9	3	21
1513		vacauit			18
1512		*Synodus vniuerſalis Lateranenſis.*			
1513	221	Leo 10. Florentinus	8	8	20
1521		vacauit		1	7
1522	222	Adrianus 6. Batauus Teuto	1	8	6
		vacauit		2	4
1523	223	Clemens 7. Florentin.	10	10	7
1534		vacauit			17
1525		Hic Pontifex celebrauit 8. Iubilæum			

Annus Christi	Num. ordo	Pontif.	Ant.	menses.	dies
1534	zz4	Paulus 3. Romanus	15		28
		vacauit		2	29
1550	zz5	Iulius 3. Aretinus.	5	1	16
1555		vacauit			17
1550		Hic Pōtifex celebrauit 9. Iubilæum			
1555	zz6	Marcellus 2. Politianus Etruscus.			21
		vacauit			22
1555	zz7	Paulus 4. Neapolitan.	4	2	27
1559		vacauit		4	7
1560	zz8	Pius 4. Mediolanensis.	5	11	15
1565		vacauit			29
1566	zz9	Pius 5. Alexandrinus.	6	3	16
		vacauit			11
1572	z30	Gregorius 13. Bonon.	12	10	27
1575		Hic Pontifex celebrauit 10. Iubilæum			
		vacauit			13
1585	z31	Sixtus 5. ex Marchia Anconitana	5	4	3
		vacauit			18
1590	z32	Vrbanus 7. Romanus.			13
		vacauit		2	9
1590	z33	Gregorius 14. Mediolanensis		14	10
		vacauit			13
1591	z34	Innocentius 8. Bonon.		2	1
1591		vacauit		2	1
1592	z35	Clemens 8. Florentin.			

FINIS.

CATHALOGVS ROMANORVM PONTIFICVM, SECVNdum ordinem Alphabeticum.

Adrianus 1. pag. 197
Adrianus 2. 216
Adrianus 3. 221
Adrianus 4 325
Adrianus 5. 365
Adrianus 6. 453
Agapiton 1. 115
Agapiton 2 249
Agaton 160
Alexander 1. 15
Alexander 2. 295
Alexander 3. 328
Alexander 4. 352
Alexander 5. 412
Alexander 6. 441
Anacletus 12
Anastasius 1. 79
Anastasius 2. 102
Anastasius 3. 239
Anastasius 4. 323
Anicetus 22
Antherus 36
Benedictus 1. 125
Benedictus 2. 164
Benedictus 3. 212
Benedictus 4. 234
Benedictus 5. 252
Benedictus 6. 257
Benedictus 7. 261
Benedictus 8. 277
Benedictus 9. 280
Benedictm 10. 292
Benedictus 11. 384
Benedictus 12. 391
Bonifacius 1. 85
Bonifacius 2. 112
Bonifacius 3. 134
Bonifacius 4. 136
Bonifacius 5. 140
Bonifacius 6. 227
Bonifacius 7. 259
Bonifacius 8. 381
Bonifacius 9. 405
Calixtus 1. 30
Calixtus 2. 310
Calixtus 3. 426
Cælestinus 1. 87
Cælestinus 2. 317
Cælestinus 3. 338
Cælestinus 4. 347
Cælestinus 5. 379
Clemens 1. 10

Cle-

Clemens 2. 285
Clemens 3. 336
Clemens 4. 359
Clemens 5. 386
Clemens 6. 393
Clemens 7. 457
Clemens 8. 498
Cletus 9
Conon 163
Cornelius 40
Constantinus 177
Christophorus 236
Damasus 1. 75
Damasus 2. 286
Deodatus 1 138
Deodatus 2. 156
Dionisius 48
Donus 1. 158
Donus 2. 258
Eleutherus 24
Euaristus 14
Eugenius 1. 152
Eugenius 2. 201
Eugenius 3. 321
Eugenius 4. 420
Eusebius 60
Eutichianus 52
Fabianus 38
Fœlix 1. 50
Fœlix 2. 73
Fœlix 3. 98
Fœlix 4. 110
Formosus 225
Gaius 54
Gelasius 1. 100
Gelasius 2. 308
Gregorius 1. 129
Gregorius 2. 179
Gregorius 3. 181
Gregorius 4. 204
Gregorius 5 268
Gregorius 6. 283
Gregorius 7. 297
Gregorius 8. 335
Gregorius 9. 344
Gregorius 10. 361
Gregorius 11. 399
Gregorius 12. 410
Gregorius 13. 484
Gregorius 14. 495
Hadrianus 1. 191
Adrianꝰ 2. 216
Hadrianus 3. 221
Hadrianus 4. 325
Hadrianus 5. 365
Hadrianus 6. 453
Hilarius 94
Honorius 1. 142
Honorius 2. 312
Honorius 3. 342
Honorius 4. 374
Hormisda 106
Hyginius 19
Innocentius 1. 81
Innocētius 2. 314
Innocentius 3. 340
Innocētius 4. 349
Innocentius 5. 363
Innocentius 6. 365
Innocentius 7. 408
Innocētius 8. 438
Innocētius 9. 497
Ioannes 1. 108
Ioannes 2. 114
Ioannes 3. 123
Ioannes 4. 146
Ioannes 5. 166
Ioannes 6. 172
Ioannes 7. 174
Ioannes 8. 218
Ioannes 9. 232
Ioannes 10. 241
Ioannes 11. 245
Ioannes 12. 250
Ioannes 13. 255
Ioannes 14. 263
Ioannes 15. 265
Ioannes 16. 266
Ioannes 17. 270
Ioannes 18. 273

Ioannes 19. 277
Ioannes 20. 279
Ioannes 21. 367
Ioannes 22. 388
Ioannes 23. 414
Iulius 1. 69
Iulius 2. 446
Iulius 3. 467
Landus 240
Leo 1. 91
Leo 2. 162
Leo 3. 194
Leo 4. 208
Leo 5. 235
Leo 6. 243
Leo 7. 246
Leo 8. 253
Leo 9. 288
Leo 10. 449
Liberius 71
Linus 7
Lucius 1. 42
Lucius 2. 319
Lucius 3. 331
Marcellinus 56
Marcellus 1. 58
Marcellus 2. 471
Marcus 67
Martinus 1. 150
Martinus 2. 220
Martinus 3. 248
Martinus 4. 372
Martinus 5. 417
Melciades, seu Melchiades. 62
Nicolaus 1. 214
Nicolaus 2. 293
Nicolaus 3. 369
Nicolaus 4. 377
Nicolaus 5. 423
Paulus 1. 187
Paulus 2. 432
Paulus 3. 461
Paulus 4. 473
Paschalis 1. 199
Paschalis 2. 305
Pelagius 1. 121
Pelagius 2. 127
Petrus 5
Pius 1. 20
Pius 2. 429
Pius 3. 444
Pius 4. 477
Pius 5. 481
Pontianus 34
Romanus 230
Sabinianus 132
Sergius 1. 170
Sergius 2. 206

Sergius 3. 237
Sergius 4. 275
Seuerinus 144
Syluester 1. 64
Syluester 2. 271
Syluester 3. 282
Sylverius 117
Symmachus 104
Simplicius 96
Siricius 77
Sisinnius 176
Sixtus 1. 16
Sixtus 2 46
Sixtus 3. 89
Sixtus 4. 435
Sixtus 5. 489
Soter 23
Stephanus 1. 44
Stephanus 2. 185
Stephanus 3. 189
Stephanus 4. 197
Stephanus 5. 223
Stephanus 6. 228
Stephanus 7. 244
Stephanus 8. 247
Stephanus 9. 291
T Heleſphorus 18
T Theodorus 1. 148
Theodorus 2. 231
V Alentinus 203
V Victor 1. 26
Victor 2. 290
Victor 3. 301
Vigilius 119
Vitalianus 154
Vrbanus 1. 32
Vrbanus 2. 303
Vrbanus 3. 333
Vrbanus 4. 354
Vrbanus 5. 397
Vrbanus 6. 402
Vrbanus 7. 493
Z Acharias 183
Z Zephirinus 28
Zoſimus 83

FINIS.

DE IESV CHRISTO SALVATORE NOSTRO.

IESVS CHRISTVS Dei viuentis filius, pietatis affectu commotus & inflammatus erga genus humanum (quod primi parentis inobedientia & præuaricatione damnationi obnoxium manebat) carni moleſtijſque eius ſuperueſtiri deliberauit; vt illud in libertatem

tem iterũ assereret, è cælis idcirco ad terras descendit, & per operationẽ Spiritus sancti in vtero immaculate virginis, ex purissimis sanguinis guttis incarnatus est: quod per internuncium antea futurę matri indicari curarat. Exinde in Bethleẽ terra Iuda in vili & lacero stabulo nascitur, pro natalitio thalamo antiquũ præsepe, sed deinceps splendorẽ & maiestatẽ, extribus miraculis eodẽ tempore patratis sortitus est, quod scilicet Virgo integra & inuiolata permanẽs, mater verè facta, sit, per creaturã creator ẹditus, ac tertiò Deus homo factus deitatẽ nõ amisit. Accidit hoc à creatione mũdi anno 199. super quinque millia: septingẽtesimo quinquagesimo secũdo ab vrbe cõdita: Imperij Augusti Cæsaris quadragesimo secũdo. Ab oriẽte tres magi seu potiùs reges sapiẽtissimi, ad adorandũ & muneribus donandũ, decimo quarto post eius natiuitatẽ die superuenerunt: ex quorũ relationibus Iudæorũ regẽ natum Herodes intelligẽs, dolos quibus eũ (quod regno pelli timeret è mediò tolleret animo cogitare cœpit. Verum spõsus virginis Ioseph ab Angelo admonitus, vt ilico fugam caperet, cum ipsa & puero in Aegyptũ feceśit, vbi septẽnio vsque ad mortẽ Herodis cõmoratus est, inde Hierosolymã reuersus Nazaretũ petijt. Vbi hic puer educat⁹ est, vnde & nomẽ Nazareni sumpsit. Duodecimũ annũ, natus Hierosolymis in celebri cætu Doctorũ, in templo cõgregato disputans repertus est, quo in loco euidentissima diuinitatis suę

signa

signa coram omnibus exhibuit, emicante sapiẽtia, quæ tam teneram ætatem multis parasangis superabat. Ex illò tempore, ad trigesimũ ætatis suæ annum incognitus vixit, & tũc à suo præcursore Ioãne Baptista in Iordanis flumine Baptismum suscepit, vox patris è nubibus intonuit quę ipsum esse Dei filiũ asseruit. Cõtinuis tribus subsequentibus annis populo monita salutis æternæ annuncians, admiranda opera & stupenda miracula perpetrauit, quæ ab Euangelistis in libros redacta sunt, ijsque multo plura edidit quæ Ioannes Euangelista propter infinitatem scriptu impossibilia affirmat. Numerum Discipulorum inter quos eos quos Apostolos vocamus, selegit, tenuis conditionis & rudes, at intentionis melioris. Per spiritũ sanctũ cęlitus missum, sapientiã & virtutem plusquam humanam. & naturalem recæperunt. Postea principibus Iudæorum inuidiæ stimulis agitatis, comprehensus per Pontiũ Pilatũ Iudeæ præfidẽ loco Tiberij Cæsaris, post multas iniurias acceptas, verberaque inflicta ad extremum in Crucem actus inter duos latrones medius mortuus est. Eius necis quemadmodum & natiuitatis, totiusque vitæ decursus prænuncij fuerunt Prophetæ & Sybillæ. Passionis tempore cæli ipsi insolitis & inuisitatis prodigijs commissi sceleris signa manifesta dederunt. Nam à sexta vsq; ad nonã sol tenebris obductus splẽdorem dare exhorruit, tellus contrenuit, petrę scissæ, velum in duas partes diuisum est. Multa quo-

que monumenta reſerata, reddiderunt, quos cõtegebant mortuos qui palam multis ſe conſpiciendos præbuerunt: Amotus à Cruce & ſepultus tertia die à morte excitatus eſt, vti ipſe viuens diſcipulis prædixerat, cum quibus poſtquam diebus quadraginta conuerſatus eſt, in cælũ propria virtute viſibiliter adſcendit. Hæc eſt vita, & finis ſecutus; qui cum natura Deus eſſet noſtram ceu prædictum eſt, carnem aſſumpſit, atque ſeipſum in ligno crucis Deo patri offerens in holocauſtum, æterni ſacrificatoris & põtificis maximi munere perfunctus eſt, diuinamque irã, quæ in humanũ genus meritò exacuta erat, emolliuit Sacerdotium hoc & Pontificatum, propter nos, noſtramque ſaluté inſtituẽs, Apoſtolis, & Petro, maximè (cui claues eminentiſsimæ poteſtatis ligandi atque ſoluendi tradidit) commiſit, & delegauit, à quibus hæc eadem poteſtas ad ſubſequentes ſucceſſores ad hodiernũ vſque diem dimanauit. Nos aſpirãte & excitante fauore diuino, quos Sũmus ipſe rex & ſacrificator, cuius meminimus, habuerit vicarios, obiter enucleabimus, remque ab ipſo Petro ordiemur.

PETRVS

PETRVS PONTIFEX PRIMVS. Anno 44.

PEtrus Princeps Apostolorum in Galilæa natus in Bethsaidæ oppido. Huic inter cæteros Christus dixit: Tu es Petrus & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam, plenariamque potestatem claudendi & aperiẽdi regnũ cęlorum tribuit. In prouinciarũ diuisione inter Apostolos facta post acceptũ Spiritum sanctũ, Petro Pontus Galatia, Bithinia, Cappadocia obuênit, cuius occasione iuxta Antiochiam in sua sede Pontificia septem annis resedit. Stabilitis & cõfirmatis Asiæ Ecclesijs, & reiectis eorũ opinionib⁹ qui circũcisionẽ retẽtam volebant, Imperij Claudij anno secũdo

Romam venit, vt ciuitas throno Pontificali cohoneſtaretur, quæ toti orbi imperitabat, ibidem ſpectante & audiente populo grauis cum Simone Mago (qui præſtigijs animos hominum dementabat) ipſi eſt exorta diſputatio hic in aëre volans, orationis Petri vi, & acrimonia, præceps in terram delapſus eſt. Populum Romanum verbo & doctrina inſtantiſimè erudiebat in eius gratiam Marco vt Euangeliũ ſcriberet, curam dedit. Huius ratione, aliorumque bonorũ operũ intuitu, maximam apud omnes venerationẽ cum eſſet cõſecutus Neronis odium & indignitationem incurrit, cuius vt impio furori cæderet ex verbe egreſſus & pœnè miliario profectus, Chriſto venit obuiam, cuius monitis iterum in vrbem iter reflexit. Cum iam martyrium ſibi imminere animaduertent Pontificatũ Clemẽti tradidit, ac poſtea Neronis ſententia cũ Paulo damnatus Martyrio conſummatus eſt. In Crucem agi pedibus in cælum erectis petijt, indignum exiſtimans eodem modo quò Chriſtus mortuus eſt, vitã terminare. Eius corpus in Vaticano prope Neronis hortos conditum fuit. In pontificatu viginti quinque annis vixit.

LINVS I. PONTIFEX SECVNDVS. Anno 57.

LInus natione Tuscus suasu Clemẽtis Pontificatum suscepit, vndecim Episcopos & duodeuiginti presbyteros creauit. Is gesta S. Petri maximè verò disputationem quam cum Simone Mago habuit annotauit. Fœminis inhibuit vt non nisi velatis capitibus Ecclesias ingrederentur. Vitam sanctissimis institutis laudabilẽ duxit, multos à dæmone liberauit, mortuos ad vitam reuocauit. Saturnini Cõsulis mandato caput ipsi abscissum est, cuius tamen filiam à dæmonio vexatam incolumen restituerat maleficio beneficij memoriam sepeliens. Petri successor eadẽ

cũ ipso sepultura honoratus est. Vndecim annis & aliquot mensibus Pontificatum gessit. Eius temporibus Romam venit celeberrimus ille Historiographus Iosephus, qui libros de antiquitate Iudęorum composuit; Eodem etiam tẽpore Philo Iudæus magni nominis & famæ Philosophus in pretio erat.

CLE-

CLETVS I. PONTIFEX TERTIVS. Anno 68.

LIno ſucceſsit Cletus Romanus, eximiæ pietatis & ſanctitatis præſul. Temporibus Tyti & Veſpaſiani pontificatũ inijt, qui Romæ confecto bello iudaico triumpharunt. Is morũ & doctrinæ cõmendatione ab omnibus eſt in magna æſtimatione habitus. Duodecim annis plus minuſue Põtificatũ adminiſtrauit, ordinatis viginti quinq; Præsbyteris, martyrij corona ſub Domitiano, honoratus eſt. Eius corpus in Vaticano apud S. Petrum conditum eſt. Huius temporibus florebat Lucas Euãgeliſta, Philippus Apoſtolus Hieroſolymis martirij palmã conſecutus eſt.

CLEMENS I. PONTIFEX QVARTVS. Anno 77.

CLemens Romanus, licet à S. Petro ſucceſſor delectus eſſet, tantæ tamen modeſtiæ fuit, vt Lino & Cleto primas dederit, eo tempore Domitianus internicioni datus eſt. Apoſtolus & Euangeliſta Ioãnes inſulã Pathmos exilio ſuo celebrem reddidit. Scripſit Clemens aliquot Epiſtolas, quæ vſque in hodiernum diem leguntur. Traianus imperator fideles perſequẽs, ipſum in inſulam relegauit, vbi duo millia Chriſtianorum, qui ob eandem cauſam exilio mulctati erant inuenit. Ipſis aquæ penuria laborantibus, miraculosè fontem limpidiſsimum impetrauit.

petrauit. Quo ſtupefacti prodigio plurimi ad fidem conuerſi ſunt. Qua re excandeſcens Traianus eum in mare proijci imperat. In Pontificis officio nouem annis & paulò plus ſedit, Preſbyteros decẽ, Diaconos duos, quindecim Epiſcopos conſecrauit, ſeptem notarios inſtituit, qui vitas & facta Martyrum ſcriptis mandarent. Poſt mortem eius viginti duobus diebus ſedes vacauit.

ANACLE-

ANACLETVS I. PONTIFEX QVINTVS. Anno 83.

ANacletus natione Græcus Clementem in Pontificatũ ſecutus magnis laboribus Eccleſiam promouere & confirmare ſalutiferis pijſque inſtitutionibus niſus eſt. Ne religioſi barbam aut comam nutrirent ſanxit, neuè Epiſcopi à paucioribus quàm à tribus Epiſcopis conſecrarentur, neque clerici clam ſed publicè ſacris initiarentur. Creſcente fidelium numero tertiam Traianus in Chriſtianos perſecutionem exercuit, in qua prẽter cẽteros Martyrium ſubijt temporis illius clariſsimũ lumen Ignatius Epiſcopus Antiochenus, & Simõ Epiſcopus Hieroſolymi-

solymitanus. Vixit in Pontificatu nouem annis & aliquot mensibus, creatis quinque presbyteris, Diaconis tribus & sex Episcopis Martyrio finem suis, vitæ & Pontificatui imposuit. Vacauit sedes dies tredecim.

EVARI-

EVARISTVS I. PONTIFEX SEXTVS. Anno 96.

EVaristus Græcus, patre tamen Iudæo natus, Romæ titulos presbyteris diuisit. Instituit septem Diaconos qui Episcopo prædicante adstarent, & vt populi accusationes aduersus Episcopum reciperent. Eo tempore viri aliquot doctrina & sanctitate cõspicui floruerũt, inter quos Papias episcopus Hieropolitanus Ioãnis auditor, Quadratus Apostolorũ discipulus. Septẽ presbyteros, duos diaconos, Episcopos quinque ordinauit. Vbi pontificatũ nouẽ annis & decẽ mensibus administrauit, Martyrio coronatus obijt sub Imperatore Adriano. Vocauit sedes nouemdecim diebus.

ALEXANDER I. PONTIFEX SEPTIMVS. Anno 109.

ALexander Romanus in memoriam dominicæ paſsionis particularia verba canoni miſſæ adiecit. Sanxit præterea vt in conſecratione ſanguinis aliquid aquæ vino admiſceretur & vt hoſtia ex Azymo conficeretur, aquæ quoque luſtralis vſum inſtituit. Prębyteros quinque Diaconos tres, Epiſcopos ſex creauit. Ad extremum decem annis & menſibus ſepté in pontificati cõſummatis, martyriũ cũ Euentio & Theodoro perpeſſus eſt. Eodem tempore duæ nobiles Saphica Antiochena, & Sabina Romana martyrij palmam conſecutæ ſunt.

SIX-

SIXTVS I. PONTIFEX OCTAVVS. Anno 117.

SIxtus natione Romanus, instituit vt res diuinis vsib⁹ addictę nō nisi per cōsecratas personas tractarētur vt corporale ex purissimo linteo fierer, in Sacrosancto Missæ officio adiunxit Sāctus, Sāctus, Sāctus, & plurimas easque vtiles institutiones, introduxit. Gallis religionis Catholicę Doctorē postulātibus Peregrinum Romanū ciuem misit, à quo fidei dogmatibus imbuerētur, qui cum eis fidem prædicasset, & in ea confirmasset, Romamque reuersus esset, vitæ martyrio finē impositit. Simili ratione ipse Sixtus diem finiuit

finiuit extremum. Postquam tribus ordinationibus vndecim Presbyteros, totidem diaconos, quatuor Episcopos creasset. Pontificatum decennio & circiter quatuor menses obtinuit.

TELESPHORVS I. PONTIFEX 9. Anno 127.

ANtonini Pij temporibus Teleſphorus natione Græcus, inſtituit, vt Quadrageſima obſeruaretur, vt in die Natiuitatis tres miſſæ dicerẽtur. Eidem, Gloria in excelſis Deo, adiecit. Méſe Septembri quinque Pręsbyteros, octo diaconos, Epiſcopos tredecim ordinauit. Poſtquam autem vndecim & quatuor plus miniſuè menſibus Pontificatum rexit, martyrium in fidei profeſsione fortiter ſubijt. Eodem tẽpore Inſtinus & Photinus Epiſcopi paſsi ſunt.

HYGI-

HYGINVS I. PONTIFEX 10. Anno 138.

TEleſphoro in Põtificatum ſucceſsit Hyginus natione Græcus plurimas ſanctiones ſaluberrimas adinuenit. Inter cęteras vt in Sacramento Baptiſmatis vnus patrinus & vna ſuſceptrix adhiberetur. Qui mos adhuc hodie ex canonibus introductus perſeuerat. Is Pontificatũ quatuor annis & tribus mẽſibus adminiſtrauit, quibus expletis mortuus eſt, conſecratis quindecim Præsbyteris, quinque Diaconis & ſex Epiſcopis. Eius ætate Polycarpus, Smyrnæ, Melython, Sardinenſis, & Theodorus, Antiochẽſis, Epiſcopi in Eccleſia floruerunt, qui doctrina & ſanctimonia cæteris præluxerunt.

PIVS I. PONTIFEX II. Anno 142.

PIus Aquileiensis natione, consilijs & hortatu Hermetis ordinauit vt Pascha die Dominico celebraretur, pœnas ijs inflixit quorũ culpa & negligentia Venerabile Sacramentum Eucharistiæ è manibus decideret, aliaque quã plurima instituit. Vbi sanctissimè in Pontificatu vndecim annis & quatuor mẽsibus vixisset, mortuus est, consecratis suo tempore nouemdecim Presbyteris, viginti & duobus Diaconis, & decem Episcopis. Eo Pontificè Cataphrygæ hæretici suis erroribus veram fidem labefactare conati

nati sunt. Idem Seueriani & Eucratitæ aggressi. Eodem tempore Sancta Prudentia eiusque soror Praxedis, & Apollinaris Episcopus clarebant.

ANICETVS I. PONTIFEX 12. Anno 153.

ANicetus natione Syrus vir ſanctiſsimis moribus imbutus Pio ſucceſsit, Antonini Veri Imperatoris ſimul & Philoſophi tẽporibus, qui deuictis Germanis alijſque populis triũphauit. Hic Pontifex plurima in vtilitatem Cleri, Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum inſtituit. Eccleſiam vndecim annis & quatuor menſibus gubernauit. Nouemdecim Præsbyteris, Diaconis quatuor & nouem Epiſcopis ordinatis martyrio coronatus eſt. Illis diebus Aegeſyppus hiſtoriam Eccleſiaſticam à paſsione ſaluatoris noſtri ad ſua vſque tempora deduxit.

SO-

SOTHER I. PONTIFEX 13. Anno 163.

SOther patria Fundanus, ne monachæ incensum acerræ imponerẽt tempore quo sacrificia fierent vetuit. Instituit etiã vt vxor legitima nõ haberetur, quę secundũ cõsuetudinẽ & cõstitutiones benedictionem à Præsbytero nõ recepisset. Huius temporibus Dionysius Corinthiorũ Episcopus & S. Pauli Discipulus floruit, Clemẽs Alexandrinns Origenis Præceptor, pluresque alij. Quinque ordinationibus Præsbyteros octo, nouẽ Diaconos, Episcopos vndecim ordinauit. Vbi nouẽ annis, mẽsibus fere quatuor Ecclesiã administrauit, vitã cũ morte cõmutauit.

ELEVTHERIVS I. PONTIFEX 14. Anno 171.

ELeutherius Græcus ad Pontificiam dignitatem euectus, literas à Britanniæ rege Lucio accepit, quibus rogabatur, vt se suosque in numerũ Christianorũ reciperet, cuius postulationem approbauit & executus est. Eius tempore incendiũ bis Roma pertulit, prima vice Capitolium deflagrauit, & omnis Bibliotheca inibi cõtenta cremata perijt: secunda vero templũ Vestæ, cum magna ciuitatis parte absumptum est. Eodem tempore Apollonius martyrium sustinuit. Post eius obitum plurimæ pestilentes hæreses pullularunt. Crescente in dies fidelium numero

mero Eleutherius inter alias sanctiones instituit, vt nemo accusatus, à dignitate decideret, aut amoueretur, nisi prius criminis conuictus esset. neuè contra accusatum quicquam in eius absentia statueretur aut decideretur. Pontificatum quindecim annis & tribus mensibus obtinuit. Tribus ordinationibus duodecim presbyteros, octo diaconos, & quindecim Episcopos sacrauit. Eius morte sedes quinque diebus vacauit.

VICTOR I. PONTIFEX 15. Anno 186.

VIctor ex Africa traxit originem; Eo Pontifice duo Imperatores Pertinax & Iulianus interempti sunt. Vt Pascha die dominico celebraretur vestigijs & institutioni Eleutherij insistés, comprobauit. Cuius occasione grauissimę inter primates Ecclesiæ illius temporibus controuersiæ susciatatæ sunt. Idem voluit vt quauis aqua in euentu necessitatis Baptismus conferri posset. Et idcirco Cócilium Palæstinũ indictum fuit, quod Nicænæ Synodi decretis hac in re parendũ & ad hærendum definiuit. Viguere eo tem-

tempore excellentes aliquot viri. Victor librum multa de Religione continentem composuit. Decem annis & tribus mensibus in Pontificatu sanctissimè vixit. His peractis vitam fæliciter finiuit.

ZEPHY-

ZEPHYRINVS I. PONTIFEX 16. Anno 198.

ZEphyrinus Romanus Victori succesit. Huius tempore de Parthis alijsque nationibus à se deuictis Seuerus Imperator triũphauit. Instituit vt presbyteri in cõspectu & præsentia Ecclesiasticorum, & laicorum fidelium consecrarentur, & vt sanguinis Iesu-Christi consecratio non in vase ligneo, vt antea moris erat, sed in vitreo conficeretur. Deinde vt Christianorum quilibet in festo Paschæ quotannis communicaret, & ne Episcopus apud iudicem alicuius criminis accusatus, & delatus, possit per superiorẽ condemnari, nisi interueniente & decernente Aposto-

Apostolica authoritate. Item vt Episcopo celebranti sacerdotes honoris & reuerentiæ causa assisterẽt. Tũc temporis Origenes claruit. Postquam in Pontificatu octo annis septem mensibus & decẽ diebus fuit, obdormiuit in Domino, diuersis ordinationibus, tredecim presbyteris, septem diaconis, & tredecim Episcopis consecratis.

CALIX-

CALIXTVS I. PONTIFEX 17. Anno 218.

CAlixtus Seueri & Baſsiani Imperatorum temporibus fuit. Hic quatuor tempora ordinauit. Idem quoque decreuit, ne Clericorum inſimulatores infames, aut ſuſpecti, in iudicijs ad mitterentur. Hæreticos declarauit eos, qui Præſbyteros poſt aliquod grauè delictum, primis ſuis honoribus reſtitui poſſe negabant, etiamſi ſufficienter & condignè ſuis peccatis pœnitentiam ſubijſſent. Eius tempore Tertullianus & Origenes celebres fuerunt. Contra Ebionitas acrem ſeſe oppoſuit propugnatorem. Quinque ordinationibus mẽſe Decembri habitis, ſex Præsbyteros,

ros, quatuor diaconos, octo Episcopos consecrauit. Sex annis, decem mensibus & decem diebus Pontificatum administrauit, sanctitate vitæ cõspicuus martyrio vitæ finem imposuit. Sedes diebus sex tunc temporis vacauit.

VRBA-

VRBANVS I. PONTIFEX 18. Anno 223.

QVo tempore monstrũ illud immane Heliogabalus Imperium obtinebat, Vrbanus natione Romanus ad Pontificatum peruenit, qui multos sua sanctitate & industria, ad fidem Christianam, & veram pietatem pertraxit. Inter eos fuêre Valerianus & Tyburtius, cum Cæcilia Valeriani vxore, qui omnes vnanimiter Tyranno ceruicem pro Christi religione dederunt. Hic Pontifex permisit, vt oblatos Ecclesia à fidelibus prouentus, & facultates liberè reciperet, eæque in vtilitatem clericorũ distribuerentur. Eius tempore florebat Tryphon Origenis

genis discipulus, Minucius, Fœlix & Alexander Episcopus Hierosolymitanus. Quinque ordinationibus, nouem Præsbyteros, totidem Episcopos, & quinque diaconos ordinauit. Postquam Pontificiam dignitatem quatuor annis, decem mensibus, & duodecim diebus exercuit, martyrio diem clausit extremum. Eo mortuo sedes per mensem rectore caruit.

PONTIANVS I. PONTIFEX 19. Anno 231.

POntianus, anteceſſoribus morũ & vitę ſanctimonia non abſimilis. Eius tẽpore licet Alexander Seuerus virtutis ſpeculum, Imperij habenas teneret; inuectione tamen & inſtigatione ſacrificulorum, exulatum in Sardinia inſula miſſus eſt. Eo Pontificè Origines Germanũ Presbyterũ Antiochenum, & Beryllum Arabiæ Epiſcopum, ab hæreſi ad orthodoxam veritatem reuocauit. Superatis pluribus ærumnis, tormentiſque euictis, vbi exulabat, mortuus eſt. Pontificatum nouem annis, quinque menſibus, & duobus diebus rexit. Duabus ordinationibus menſe Decẽbri habitis

bitis sex Præsbyteros, quinque Diaconos, & sex Episcopos cõsecrauit. Eius corpus Fabiano summo Pontificè Romam, summo honore & reuerentia delatum est. Post eius mortem sedes dies decem vacauit. Idem instituit vt noctibus atque diebus horæ in Ecclesijs decantarentur, & vt in principio Missæ Confiteor diceretur.

ANTERVS I. PONTIFEX 20. Anno 236.

ANterus Græcus vndecim annis, mẽſe vno, & vndecim diebus Pontifex fuit imperãte Romæ Maximino, qui contra Chriſtianos ſextã commouit perſecutionem, & vnà cum filio per Puppienum iuxta Aquileiam (quam obſidione cinxerat) internecioni datus eſt. Hic Pontifex res geſtas martyrum ſcriptis mandari, eaſque in ærario Eccleſiæ diligenter aſſeruari primus curauit. Conceſsit etiam vt Epiſcopus cum altero Epiſcopatum commutare poſſet, accedente tamen conſenſu & authoritate Pontificis. Eo tempore floruere Iulianus africanus Hiſtoriographus.

graphus, Geminus Præsbyter Antiochenus, Heraclas Alexandrinæ Ecclesiæ Antistes. Vnũ solum Episcopum toto tempore quo Pontifex fuit creauit. Vita hoc modo sanctissimis moribus instituta, & transacta, martyrio coronatus est, sepultusque in cæmiterio Calixti via Appia, nonis Ianuarijs. Post eius mortem sedes tredecim diebus vacauit.

FABIANVS I. PONTIFEX 21. Anno 237.

FAbianus Romanus, Imperium administrante Gordiano, Pontifex summus est resalutatus. Qui institutum anteceſſoris ſecutus, ſeptē Diaconos per diuerſas regiones adhibuit, qui facta Martyrum memorabilia ſcriptis traderent. Eius electionem prodigia relatu, & admiratione non indigna pręceſſerunt. Nam quo tempore de creando Pōtifice elaborabatur, in eius caput columba deuolauit. Eadem tempeſtate, Gordiano Philippus in Imperio ſucceſſit. Romæ Conciliū quinquaginta Epiſcoporum indixit, in quo plures hæreſes cōdemnatæ ſunt. Prima Nouati qui

Apo-

Apostatas ab errore resilientes, pœnitẽtesque in Ecclesię gremium redire aut recipi prohibebat. Secunda, eorũ qui animas cum corporibus simul interire sustinebant, & easdẽ postea cum corpore iterum suscitari. Tertia Helchelitarum, qui opera D. Pauli respuebant, & Christum in tormentis ore negari posse dicebãt, dummodo corde ei adhæreretur. Idem etiam instituit vt singulis annis feria quinta in cœna Domini Chrisma renouaretur. Aedificijs cœmiteria amplificauit, vt honorificentius Martyrum reliquiæ sepelirentur. Sub Decio, qui Philippo in Imperio succesit septimam in Christianos excitãte persecutionem, ipse Fabianus cum multis alijs Martyrium passus est, cuius festum ab Ecclesia decimo tertio Calẽdas Februarij celebratur. Creatis mẽse Decembri ex quinque ordinationibus, viginti duobus Præsbyteris, 7. Episcopis, vndecim Diaconis, sepult⁹ est in cœmiterio Calixti. Demptis vndecim diebus Ecclesiam quindecim annis administrauit, vacauit sedes sex dies.

CORNELIVS I. PONTIFEX 22. Anno 251.

COrnelius natione Romanus, Fabianum in munere Pontificio secutus, eum virtute & sanctitate imitatus est. Eius tempore periculosum schisma excitatum est, nam Nouatus hęreticus, cuius mẽtionem fecimus, Nouatianũ quendam Antipapam creauit aduersus Cornelium, qui Apostatas pœnitentes Ecclesiæ restituebat. Hãc ob rem legitimus Põtifex Centũcellis iuxta Ciuitatem veterem exulare coactus est. Quem ibi commorãtem, Cyprianus Carthaginensis, & Dionysius Alexandrinus, Episcopi, qui partibus Catholicorum fauebãt, literis suis consolati sunt.

Priuſ-

Priusquam in exiliũ progrederetur, Lucinæ sanctissimę matronæ ope & auxilio, SS. Apostolorũ Petri & Pauli corpora Catacumbis efferri, eaque tutioribus locis recondi curauit. Decius intellecto Cornelium à Cypriano literas recepisse, reuocatum ipsum in tẽplo Deæ Telluris coram se comparere iussit, post multasque obiurgationes plumbatis cædi imperauit: inde ad Martis templum deductum, vt idolum adoraret, cum id facere negaret, martyrij corona honoratus est tertio nonas Maij. Eius corpus Lucinę clarissimę fœminę diligentia sublatum, propè cęmiterium Calixti sepultum fuit. Duabus ordinationibus mense Decembri, quatuor Prębyteros, totidem Diaconos, & septem Episcopos creauit. Sedem Apostolicam duobus annis, duobus mensibus, & tribus diebus obtinuit. Sustinuit etiam vt Sacerdotes in negotio grauis momenti iuramentum edere possent. Sedes triginta quinque diebus vacauit.

LVCIVS

LVCIVS I. PONTIFEX 23. Anno 258.

LVcius cum magna sanctitatis opinione, ad Pontificatum peruenit, quem tribus annis totidemque mensibus ac diebus administrauit. Eodem tempore Gallus cũ Volusiano filio imperium regebant, quibus mortuis Aemilianus, & Valerianus qui octauę persecutionis auctor cũ Galieno filio suo extitit, parem meritis ambo, postea exitum sortiti sunt, nam miserijs afflicti perierunt. Lucius instituit, vt duo Præsbyteri & tres Diaconi perpetuo Episcopum comitarentur, actionum eius testes futuri vbicumque locorum diuersarentur. Gallo & Volusiano Imperato-

peratoribus Cyprianus vir doctiſsimus, iuxta atque ſanctiſsimus, Martyrium paſſus eſt. Qui poſt diutinam diſceptationem cum Cornelio Pontifice de recipiendis hæreticis poſtquam pœnitentiam egiſſent, eius ſententiæ ad extremum aſſenſus eſt, cenſuitque ſine vlla Baptiſmi reiteratione, ſed ſola manus impoſitione Eccleſiæ reuniendos eſſe. Hic Pontifex ſeſe ad mortem odio & crudelitate Valeriani quæri intelligens, omnem Eccleſiæ poteſtatem ſuo Archidiacono Stephano concredidit, ac poſtmodum gladio octauo Calendis Septembris vitam finijt. Vbi 4. Præsbyteros, 4. Diaconos, ac 7. Epiſcopos, tribus ordinationibus, mẽſe Decẽbri habitis creaſſet. Eius corpus eadem qua Cornelij veneratione & ſepultura honoratum eſt. Sedes 35. dies vacauit.

STE-

STEPHANVS I. PONTIFEX 24. Anno 255.

STephanus natione Romanus, prædeceſſoribus pari ſanctitatis & pietatis opinione reſpondit. Hic inſtituit ne ſacerdotes alibi quàm in Eccleſia & ſacrificijs, ſacris veſtibus vterẽtur. Mota difficultate de rebaptizandis ijs qui ex hęreſi ad fidei vnionem redibant, Cornelij determinationẽ amplexus eſt: in quo Aſianas & Africanas Eccleſias conformes habuit. Eiſdem temporibus Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus, Artemonis dogma de nouo excitauit, qui Chriſtum purum hominem, eumque ex matre initium ſumpſiſſe affirmabat, contra quem Melchion

chion author grauiſsimus, doctiſsimè ſcripſit, eiuſque impietatem confutauit. Cum plurimos ad fidem, vitæ integritate & pijs exhortationibus conuerteret, ipſe cum multis alijs decreto Galieni apprehenſus eſt,& capite plexus 4. Nonas Auguſti; quo die eius feſtum ab Eccleſia celebratur. Bis menſe Decẽbri ordinationibus habitis, Præsbyteros ſex, Diaconos 5. Epiſcopos 3. ordinauit. Septẽ annis 5. mẽſibus & duobus diebus in Põtificatu vixit. Sedes 22. diebus vacauit.

SIX-

SIXTVS II. PONTIFEX 25. Anno 257.



PLurimos Pontifices Romanos Sixtus natione Græcus huius nominis secundus, subsecutus, est ex Athenienſi Philoſopho Chriſti factus Diſcipulus. Eius tẽpore plurimæ hæreſes diuerſis in locis pullularunt. Ptolomaide Pentapoleos Chriſtus Dei eſſe filius, atque inter creaturas primogenitus negabatur; Spiritui ſancto intellectus adimebatur. Hi hæretici Sabelliani à Sabellio huiꝰ pernicioſi dogmatis introductore vocati ſunt. Cerynthus vero turpitudini & laſciuiæ addictiſsimus, adhærente ſibi Nepote Epiſcopo Aegypti, fidelium reſurrectionem mille expletis annis docebat, ſimulque Ieſu-Chriſti regnũ cum

cũ omni voluptate & delicijs ciborum, fœminarum, & omniũ eiusmodi sordium ad futurũ, ex cuius ratione Chiliastarum nomen sumpserunt. Cótra eiusmodi exurgentes errores, prædicationibus Sixtus viriliter sese opponens, in suspicionẽ lesæ maiestatis incidit: cótraque Imperij edictũ prędicare accusatus, quo Christus adnunciari prohibebatur. Hinc Valeriani decreto captꝰ est, in ædẽ Martis protactus, vt ei vel sacrificaret, vel sibi moriendum certò cogitaret. Hac impietate recusata, cũ ad suppliciũ raperetur, Laurẽtius Archidiaconus, doloribus victus sic eũ compellans, quonã sine filio pater progrederis; respósum accepit planè Propheticũ, seseque triduo post subsequente Martyrij coronã reportaturũ. Octauo idus Septẽbris mortẽ in Christiana confessione fortiter obijt, cũ sex alijs Diaconis, Fœliciſsimo Agapyto, Ianuario, Magno, Innocẽtio & Stephano. 4. vero idus eiusdẽ mẽsis Claudius diaconus, Seuerus prębyter, Romanꝰ Ostiarius, Crescẽtius Lector & Laurẽtius in craticula assatus, & omniũ Martyrũ princeps nuncupatus, passi sunt. Sixtus, autẽ duabus ordinationibus mẽse Decembri habitis, 4. Prębyteros, 7. Diaconos, 2. Episcopos creauit. Pontificatũ duobus annis 10. mẽsibus & 23. diebus administrauit, Sedes 36. dies vacua mãsit. Idẽ contra consuetudinẽ introductã instituit, ne alibi quã in altari sacrificiũ Missæ celebraretur. Eius corpus in cęmiterio Prætextati via Tyburtina cũ prædictis Martyribus reconditũ fuit.

DIO-

DIONYSIVS I. PONTIFEX 26. Anno 260.

DIonysius cuius etiamsi origo incognita lateat, vir tamen fuit sanctissimæ vitæ. E statu religionis ad Pontificatum sublimatus, statim Ecclesias & cœmiteria vrbis Romæ presbyteris diuisit: parochias vero & diocæses extra ciuitatem existentes, vnicuique per limites & certos terminos, quibus contentus esset distribuit. Eius tempore Paulus Samosatenus, cuius paulò ante meminimus, magis ac magis execrandam suam hæresim euulgauit, qua Iesum Dei filium negabat. Huius occasione, Cõcilium plurium Episcoporum Antiochiæ, cuius hic Paulus Episcopus erat,

erat, conuocari iussit, in quo hic error vnanimiter damnatus est, atque explosus, & ex professo per Gregorium Cæsarienſem Episcopum virum doctissimum, qui postea pro fidei professione mortuus est, refutatus. Huic Concilio Pontifex interesse non potuit, erat enim decrepitæ & fractæ ætatis sed omnis determinationis in eodem datæ certior per maximum Episcopum Alexãdrinum factus est. Bis mẽse Decembri ordinationes habuit, quibus 12. Presbyteros 6. Dianonos & 7. Episcopos ordinauit. Martyr secundum opinionem Platinæ mortuus est. Pãuinius vero ipsum Cõfessorem vocat. Vltra sex annos in Pontificatu duobus mensibus & quatuor diebus vixit, eo mortuo sedes sex solummodo diebus vacauit.

D FOE-

FOELIX I. PONTIFEX 27. Anno 271.

FOelix Romanus huius nominis primᵘˢ. Eius tempore nonam contra Ecclesiam mouit persecutionem Aurelianus Imperator, rebus à se in Bello gestis Clarissimus, qui Zenobiã Orientis Reginam nobilissimam subiugauit, & de ea triumphauit. Hic Pontifex vt celebritates martyrium quotannis fierent ordinauit. Eiusdem etiam institutum fuit, vt Missa non nisi in sacro loco & per viros sacris initiatos celebraretur, & vt locus de quo vtrum esset consecratus dubitaretur, denuò sacraretur. Eo Pontificè Persa quidam Manes nomine, vesano afflatus Spiritu, selectis

selectis duodecim Discipulis, quos secũ comites ducebat se Christum predicare ausus est. Fœlix 9. Præsbyteros, 5. Diaconos, ac totidem numero Episcopos consecrauit. Postquam Ecclesiæ curã 4. annis, tribus mensibus & quindecim diebus habuisset, ad tranquilliorem vitæ portum Martyrio adauctus euolauit, ac via Appia sepultus est. Huic Pontifici ritum dedicandi Ecclesias attributum ferunt. Eius morte Ecclesia 5. diebus Rectore caruit.

ENTYCHIANVS I. PONTIFEX 28. Anno 275.

FOelici succesit Entychianus natione Tuscus, cuius tempore Dorothæus Eunuchus vir doctrinæ opinione vulgatissimus floruit erat enim Græca simul ac Hebraica lingua eruditissimus. Anatolius quoque Laodiceæ Syriæ Episcopus, magni tunc nominis passim habebatur, qui validum contra Manichæos sese opposuit propugnaculum. Hi duo rerum principia vnum bonum, alterum malum ponebant, animasque ex diuina substantia habere originem vnde tanquam ex primario, fonte dimanarent asserebant. Nouum testamentum tantum ex parte admittebant,

bant, vetus penitus reijciebant, hiſce alijſque eiuſmodique deliramentis in varias opiniones homines pertrahebãt. Entychianus prædeceſſorũ ſuorũ veſtigijs firmiter inhærens 8. calendas Auguſti Martyrij coronam reportauit vbi 14. Præsbyteros, 5. Diaconos & 9. Epiſcopos inſtituiſſet. Sepultus fuit in cœmiterio Calixti. Inter cæteras conſtitutiones, ordinauit etiam vt ſegetes benedicerentur, & vt in Martyrum tumulatione Dalmatica adhiberetur.

CAIVS I. PONTIFEX 29. Anno 283.

QVo tempore Imperij habenæ per Probum Numerianũ, Carinium, Diocletianũ, alioſque plures Tyrannos dirigebantur Caius natione Dalmata Põtifex ſummꝰ renũciatus eſt. Qui licet ex genere & proſapia Diocletiani oriundus eſſet, is tamen quia in Chriſtianos grauem exercebat Tyrannidẽ, in criptis latitare ipſi neceſſum fuit. Ad extremum tandem ab Imperatoris ſatellitibus deprehenſus, Martyrio cum fratre Gabinio, eiuſque filia Suſanna vitam fœliciter terminarunt, ac in cæmiterio Calixti ſepulti ſunt. Hic Põtifex primus inſtituit ordinum diſtin-

distinctiones, nimirũ Ostiariorũ, Lectorũ, Exorcistarum, Acolytorum, Subdiaconorum, Diaconorũ, & Presbyterorũ, quibus quasi quibusdã gradibus ad Episcopalem dignitatem peruenireturRegiones Diaconis qui res gestas Martyrũ diligenter conquisitas describerent diuisit. Eodem tempore Agatha, Lucia, Agnes nobiles virgines Martyrio coronatæ sunt, paulò post Caij obitum, qui annis 11. mensibus quatuor, diebus 12. Pontificatum administrauit. Quatuor ordinationibus mẽse Decembri habitis 25. Præsbyteros, 8. Diaconos, & 5. Episcopos creauit. Sedes eo mortuo 11. dies vacauit.

MARCELLINVS I. PONTIFEX 30. Anno 296.

DVrante Diocletiani & Maximiani Imperio, qui decimam contra Christianos commouit persecutionem, Marcellinus Pontificatui præfixus est. Qui tametsi exemplo & fortitudine plurimorum martyrum, qui numero septem & decẽ milia superabant, in fidei firmitate confirmatus esse debuerat: nihilominus ad idolũ pertractus carnificum minis incẽsum adoleuit, Cuius ratione congregatio 180. Episcoporum. Sinuessæ in Campania habita est, in qua assistens, tanto dolore cómissi erroris percitus est, vt omnium iudicio, & publica voce, absolutione dig-

nus iudicatus fuerit in peccando fragilis, in pœnitendo feruens Sancti Petri secutus exemplum. Eo pacto viriliter resumens spiritus Romam reuertitur, ac Diocletiano obuiam factus acribus adeo exprobationibus eum aggressus est, vt ira, & furore inflammauerit. Quapropter capitis cũ Claudio & Antonino condemnatus est; quorum corpora proiecta 36. diebus insepulta iacuerunt, donec Marcellus Præsbyter à B. Petro in somnis admonitus, eadem debito sepulturæ honore via Salaria 6. Calẽdas Maias prosecutus est. Annis 9. duobus mensibus, & 15. diebus Pontifex fuit. Duabus ordinationibus mense Decembri celebratis, 4. Præsbyteros, 2. Diaconos, 5. Episcopos consecrauit. Sedes 26. diebus vacauit. Inter eos qui sub Diocletiano Martyriũ subierunt maximè celebres fuerũt, Eufemia, Hilarius, Barbara, Christophorus, Anastasia, Sebastianus, Erasmus, Gregorius, Iulianus, Fœlix, & celebratissimus ille Ianuarius Beneuenti Episcopus qui modo Neapolitanæ Ciuitatis peculiaris protector atque patronus est, cuius adhuc hodie augustissima cruoris eius miracula vbique coruscant, ita vt per vniuersum orbẽ eius rei fama percrebuerit.

MAR-

MARCELLVS I. PONTIFEX 31. Anno 304.

MArcellus natione Romanus, quinque annis, sex mensibus & 21. diebus Ecclesiam administrauit. Eius tempore Cõstantius Gallerius & Maxentius imperarũt. Hic quo Dei cultũ & honorem magis promoueret 25. Parochias diuersorum titulorum in vrbe in fauorem & cõmoditatẽ eorum qui baptizabãtur erexit. Eodẽ impellente Priscilla nobilis Romana cæmiteriũ proprijs expẽsis via Salaria extruxit, Lucina Ecclesiam bonorum suorum hęredem nominauit. Quod resciens Maxentius grauissimè tulit, & ad tẽpus dictam matronam exilio mulctauit, Marcelli

celli fidem pluribus minis & artificijs, sed frustra tentauit. Quarè ira incensus eum in loco fætore & sordibus graui includi iubet, vt bestiarũ quæ ibi alebantur curam gereret. Nouem menses eo in loco consumpsit nihil ex orationibus & ieiunijs à se obseruari solitis interim remittens. Ex eo tandem ergastulo Præsbyteris adiuuantibus extractus est, cuius rei certior factus Maxentius eodem retrudi imperat, vbi ob loci iniuriam & graueolentiam mortuus est. Eius corpus ad prædictum Priscillæ cæmiterium delatũ est, 18. Calẽdas Februarij. Successu temporis eodem in loco quo obijt Ecclesia ædificata est tituloque S. Marcelli honorata. Hic primus instituit vt nullum generale Concilium celebrari posset nisi interueniente Pontificis autoritate mense Decembri, 26. Presbiteros, 2. Diaconos, 21. Episcopos ordinauit. Sedes eo mortuo 20. diebus vacauit, Sub hoc Põtifice Mauritiùs vna cũ legione Christianorũ Martyrium passi sunt.

EV-

EVSEBIVS I. PONTIFEX. 32. Anno 310.

EVsebius Græcus Patrem medicum habuit. Pontificatus ipsi Maxentio & Constantino Imperantibus obuênit. Huius mater Helena lignum sacratissimæ Crucis 5. nonas Maij, prodente quodam Iudæo, qui postea Baptismo intinctus fuit, Cyriacusq; vocatus, reperit. Quod tamen Panuinius improbat ac 25. annis post accidisse sustinet. Huius Pontificis opera plurimi hæretici Ecclesiæ, per manus impositionem restituti sunt. Statuit vt à laicis Episcopi in ius vocari non possent. Eodem tempore Lactantius Firmianus florebat, qui Crispi Cæsaris Constantini

tini filij Pædagogus fuit, & Eusebius Cæsariensis Episcopus sacrorum librorum cum Pamphylo Martyre diligens indagator. Collatione ordinum, quã semel mense Decembri instituit 13. Præsbyteros, 3. Diaconos, 14. Episcopos ordinauit. Martyr Romę mortuus est 6. Nonas Octobris, ac in cęmiterio Calixti sepultus. Ecclesiam 6. annis, vnico mense & diebus tribus administrauit. Sedes vno solo die vacauit.

MEL-

MELCHIADES I. PONTIFEX 33. Anno 311.

MElchiades ex Africa oriundus, Martyrio (vt Platinæ placet) affectus, cuius contrariũ tuetur Panuinius. Quidquid ſit Calẽdarium Romanum ipſum Martyrẽ appellat, quartoque Idus Decembris celebrat. Eodem tempore de Maxentio & Licinio acerrimis Chriſtianorum perſecutoribus victoriam Conſtantinus reportauit, ſub quibus ſanctiſsimæ virgines martyriũ fortiter ſubierunt Dorothæa & Sophronia, quæ effrenatis libidinis & concupiſcentiæ ſtimulis Tyranni refragata, ſibi ipſi propria manu, veluti Chriſtiana quædam Lucretia vitã ademit. Melchiades

chiades animaduertens dies Solis & Iouis superstitiosa ac falsa obseruatione à Gētilibus maiori in pretio haberi, ijsdem ieiunari prohibuit. Plurimas alias sanctiones ordinauit, ad oblationes perficiendas vtiles, prę sertim propter Manis hæresim, quæ indies magis magisque vrbem Romam inflammabat. Ordinibus dandis semel solummodo vacans 7. Præsbyteros, 6. Diaconos, 12. Episcopos sacrauit. Dignitatem Apostolicam 4. annis, 7. mensibus, & 9. diebus obtinuit. Ad cęmiterium Calixti corporis eius delatum est. Sedes 17. diebus vacauit.

SIL-

SILVESTER I. PONTIFEX 34. Anno 315.

SIlueſter Romanus vitæ ſanctiſsimæ in initio Conſtantini Magni in Pontificem electus eſt. Is Imperatoris fama & clementia commotus ex monte Soracte vbi deliteſcebat in Vrbem venit, omnemque mouit lapidē, vt Eccleſiæ curam Imperatori commēdaret, apud quem in ea opinione & reuerentia fuit, vt eiuſdē manibus baptizari cupierit. Hiſce nixus fauoribus plurimas baſilicas ædificare cœpit, ac inter eas S. Ioannis Lateranenſis, SS. Petri & Pauli, S. Crucis in Hieruſalem, S. Agnetis, S. Laurentij extra mœnia, & eam quæ Sanctis Martyribus Petro & Marcel-

Marcellino sacra habetur: quas sacris imaginibus muneribusque magnificētissimis exornauit, calicibus, patinis, crucibus, statuis, lampadibns, coronis, candelabris, alijsque eiusmodi ornamentis, ex auro argentoque confectis, Ecclesias prouentibus, possessionibusque donauit: aliaque innumera beneficia, quę enumerare longū esset, contulit. Ipsam vrbem Romam Pontifici, eiusq; successoribus propriā fecit, Aulāque Constantinopolim transtulit. Eodē tēpore Arrij Præsbyteri Alexandrini hæresis exurrexit, qui filium ab æterno patre separabat. Ob quam causam Concilium Nicænum in Bithinia congregatum fuit, in quo 318. Episcopi præsentes aderant, vbi post multas, atque graues ratiocinationes, filium eiusdem esse cum patre substantiæ, conclusum est: Arriusque cū sex alijs qui eius sectæ adhærebant in exilium missi. Ibidem Photinus & Sabellius, antiqui hæretici condemnati sunt. Siluester instituit vt Chrisma per solum Episcopum conficeretur; & per eum baptizati, itēque per Præsbyteros, ad mortem infirmantes inungerentur. Ne sæcularis Ecclesiasticū in ius vocare, aut Ecclesiasticus, coram sæculari procedere posset: vt Sacerdos ministratur. Dalmatica vestiretur, pallamque manu sinistra haberet, & oblaturus sacrificium nō alio quam albo lintheo vteretur. Plūrimaq; alia vtiliter instituit, quibus allecti multi ad fidem conuersi sunt. Sub hoc Pontifice Antonius Aegyptius heremita sanctissimus floruit.

Pontificis officium 23. annis, 10. menſibus & 11. diebus exercuit, ſepties menſe Decembri ordines cõtulit, Presbyteros 42. Diaconos 36. Epiſcopos 65. ordinauit. Eius feſtum pridiè Calendas Ianuarij incidit, quo die ad meliorem vitam ex hoc mundo migrauit, Sepultusque via Salaria in Cęmiterio Priſcillæ. Sedes 15. dies vacauit.

MAR-

MARCVS I. PONTIFEX 35. Anno 336.

MArcus in Pontificatu Silueſtrum ſubſecutus eſt, natione Romanus, quo tẽpore Cõſtantinus, æquitatis & honeſtatis obſeruantiſsimus adhuc in viuis agebat: cuiꝰ mors per cometam, qui pluribus diebus apparuit, prẽſignificata dicitur. Inſtituit vt Oſtienſis Epiſcopus, à quo Pontifex conſecratur, Pallio vteretur: & vt diebus ſolennioribus poſt Euãgelium, Symbolum, eo modo quo in Nicæno Concilio declaratum eſt, in Eccleſia decantaretur. Duas Eccleſias ædificauit, vnam Romæ iuxta montem Palatinum, alteram in via quæ Ardeam verſus tendit, quas

ámpliſsimis muneribus dotauit. Duabus ordinationibus menſe Decẽbri celebratis, 25. Præsbyteros, 6. Diaconos, & 20. Epiſcopos creauit. Põtifex duobus annis, 8. mẽſibus & 20. diebus fuit, 3. Nonas Octobris obijt, ſepultuſque in cęmiterio Balbinæ via Ardeatina. Sedes 20. diebus vacauit. Eodem tempore Iuuencus natione Hiſpanus fuit, qui 4. Euangelia carminibus Heroicis compoſita in 4. libros redegit.

IV-

IVLIVS I. PONTIFEX 36. Anno 336.

IVlius huius nominis primus, temporibus turbulentissimis Pontificatum suscepit. Constantius enim Constantini filius, qui Imperium cum Constante & Constantino fratribus administrabat, Christianos vt à fide Catholica recedẽtes ad Arrianorum sectam quibus ipse fauebat, trãsiret, sollicitabat. Huic impio conatui sese Pontifex opponens 10. mensibus exulauit. Conuocatũ deinde Conciliũ Laodiceæ, siue vt alij volũt, Tyri vbi inter Catholicos & Arrianos, asperrimæ & altissimæ sunt susceptę disputationes, quibus ipse Arrius præsens interfuit, qué Athanasius Alexã-

driæ Episcopus publicè confutauit. Quod indignè ferens hæresiarcha, ad insidias & imposturas animum conuertit, Imperatoris authoritate fretus. Athanasium iniquissimè cõdemnari procurauit: qui mox sese abripiés sex annis in cisterna secretò delituit. Mortuo Constantio Pontifex Romã redijt, Episcoposque Orientales grauiter redarguit, quod Cõcilium neglecta sua authoritate indixissent. Inter cætera instituit ne Ecclesiasticus ad alium iudicem vocari posset, quàm spiritualem: & vt ea quę Ecclesiarum essent, propria, per Notarios conscriberentur. Aliquot Basilicas & Cęmiteria exædificauit. Ter mẽse Decembri ordinationes habuit quibus 18. Præsbyteros, 3. Diaconos, & 9. Episcopos consecrauit. Durauit eius Pontificatus 15. annis, 2. mẽsibus, & 6. Diebus. Pridiè Idus Augusti mortuus est, ac in Cęmiterio Callopodij, via Aureliana sepult⁹. Sedes 25. diebus vacauit.

LIBERIVS I. PONTIFEX 37. Anno 351.

LIberius Romanus, Pontificatum tẽpore quo Constãtius solus, fratribus eius è medio sublatis, Imperium regebat, adeptus est. Huius Imperatoris fauore & protectione freti & suffulti Arriani, Cõcilium Mediolani coegerũt, in quo omnes Catholici miserrimè proscripti sunt, Liberius vero per aliam Synodum ab ijsdem Arimini celebratam, in exiliũ missus est. Hic tribus annis ab Vrbe abesse iussus est; ex eo solũmodo quod infracto animo, Arrianorũ conatibus, qui filij consubstantialitatem negabant, sese opposuisset: vnde Fœlix in eius locum surrogatus est.

Hinc in Ecclesiam vehemés persecutio inuecta est. Postea verò Fœlice amoto, Liberius ab exilio reuocatus est, qui (secundùm Platinā) ad Arrianorum partes in quibusdā deflexit: quod tamen de tāto viro opinari, nefas est & indignum vt doctissimè Panuinius, in annotationibus de Liberio scriptis, reliquit. Eodem tempore Donatus Donatistarū prauitatis caput & antesignanus, in Africa virus suū euomere cœpit, Asterius Philosophus in fauorem Arrianæ hæreseos multa edidit: ad quos redarguēdos plurimi vitæ sanctitate & opinione doctrinæ cōspicui, ea tempestate exorti sunt, qui eorum dogmata & errores refutarunt: inter quos Athanasius, Serapion, Eusebius Episcopus Emissenus, Heriphilus, à quibus vnanimi spiritu hæc hæreticorum turba penitus conuulsa est. Liberius sex annis in Pontificatu vixit, duabus ordinationibus 18. Presbyteris, 5. Diaconis, & 19. Episcopis creatis, è viuis excessit, corpus eius in cœmiterio Priscillæ conditum fuit. Sedes sex diebus vacauit.

FOE-

FOELIX SECVNDVS.

FOelix,vt ſupra annotauimus, tempore quo exulabat Liberius in Pontificatum intruſus eſt: & ob eam rationem Panuinius inter legitimos Pontifices referendum non cenſet; quandoquidem certò cõſtat, omnem eum, qui altero adhuc viuente, nec ob aliquod crimẽ deſtituto, huic officio præficitur, ſchiſmaticum & pſeudo, Pontificem haberi. Hic Fœlix, vt refert Panuinius per Senatum populumq; Romanũ electus, Liberio legitimo Pontifice reuocato Põtificatum tamẽ ſchiſmaticè exercere nõ deſtitit: quod & in vrbe, & foris 10. annis, 3. mẽſibus & 11. diebus executus eſt. Mors deinde ſubſecuta ambitionis

tionis & schismatis finē fecit. Errat in hoc Platina, qui eum supplicio Constantij decreto affectum esse asserit. Et mirum est hunc authorem scribere idcirco Liberium exilio mulctatum, quod Arrianorum conatus repressisset, nihilominus Fœlicem legitimum Pontificē fuisse, qui in illius absentia electus fuerat. Nam quò causa exilij iniquior erat, eò fuit alterius substitutio minus legi & rationi consentanea.

DA-

DAMASVS I. PONTIFEX 38. Anno 366.

PRopter schisma prædictum, post mortẽ Liberij & Fœlicis, ex vtriusq; parte ad electionẽ processum est. Hinc Damasus inde Vrsicinus creati sunt. Ac propterea graues exortæ sunt dissensiones, adeò vt cùm ad manus deuẽtum esset, plurimi internecioni dati fuerint. Ad extremũ Damasus tam à Clero quam à populo confirmatus est, eiusque competitor Vrsicinus Neapolitanæ Ecclesiæ director declaratus. Damasus natione Hispanus, adulterij accusatus, in publico iudicio ita causam suam egit, vt absolutione dignus omnium iudicio: & eius criminatores Concordius

dius & Calixtus Diaconi condemnati & ab Ecclesia eiecti fuerunt. Rebus Ecclesiæ mitigatis hic Pontifex Pōtificum anteceſſorum vitas cōpoſuit, quas B. Hieronymo miſit, nihil interim eorū quæ diuini cultus erant intermittens. Duas Ecclesias, vnam iuxta Theatrū, alteram ad Catabumbas extrui curauit. Multa carmina (nam poesi delectabatur) in laudem Martyrum prædictis in locis ſepultorum edidit. Vna Ecclesiarum S. Laurentio in Damaſo cōſecrata fuit, quā ampliſsimis muneribus aureis atque argenteis, poſſeſsionibuſque locupletauit. Inſtituit vt Pſalmi in Eccleſijs alternatis vicibus decantarentur, & vt in fine cuiuſque Gloria Patri adijceretur. Scriptis & operibus B. Hieronymi authoritatē primo tribuit, & vt Biblia eius, ſicut 70. interpretum, inoffenſo pede legi poſſent. In principio Miſſæ Confiteor dici decreuit. Quinque ordinationibus 31. Præsbyteros, 11. Diaconos, 61. Epiſcopos conſecrauit. Pontificatū 19. annis, 3. mēſibus & 11. diebus adminiſtrauit. Menſe Decembri obijt, ac in Eccleſia pro ſe conſtructa via Ardeatina ſepultus. Sedes 21. diebus vacauit. Eo tēpore Imperabat Iulianus Apoſtata, Chriſtiani nominis hoſtis acerrimus.

SIRI-

SIRICIVS I. PONTIFEX 39. Anno 385.

SIricius Romanus, Pontifex eo tempore fuit, quo Valentinus & Valens fratres Imperium obtinebãt. Hic quia Arrianus erat, infesto animo Christianos persecutus est; ita vt ne ipsis quidem heremitis quicquã remitteret, inter quos erant duo Macarij, Sancti Anthonij discipuli, Isidorus, Paphnutius, alijque magni nominis & meriti quam plurimi. Athalaricus quoque Gothorum Rex multos Martyrio affecit. Ordinauit hic Pontifex, vt Monachi ad Episcopalem dignitatem promoueri possent, & vt sacri ordines per interualla, & non simul cõferrentur. Manicheus qui

qui in vrbe versabantur Catholicorum cõmercium interdixit. Pœnitẽtes ab Ecclesia recipiẽdos censuit, dummodo monasterium, pœnitentiam reliquo vitæ tempore acturi, ingrederẽtur. Item vt ab Episcopo Præsbyter cõsecraretur. Eo tempore illustres aliquot viri floruerunt; inter quos Hilarius Episcopus, Victorinus Africanus, & Dydimus Alexandrinus. Siricius quinque ordinationibus 26. Præsbyteros, 16. Diaconos, & 32. Episcopos creauit, vbi 15. annos dẽptis 5. diebus in Pontificatu vixerat, ad trãquilliorem vitã transijt, ac in Cęmiterio Priscillę sepultus est. Sedes 20. dies vacauit.

ANA-

ANASTASIVS I. PONTIFEX 40. Anno 398.

ANastasius natione Romanus, Pontifex proclamatus fuit Imperante Gratiano, Principe religionis & iustitię obseruantissimo, qui Arrianos ex Italia expulit. Eo tempore Ambrosius Ecclesiæ lumen clarissimum, Mediolani Episcopus electus est; S. Martinus Turonēsem Ecclesiam regendam suscepit: in Cappadocia, duo Ecclesiæ luminaria, Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus coruscabāt: Epiphanius Salaminæ Episcopus, & Effrem Ediſſenus Diaconus. Hic Pontifex instituit, vt Christiani quando Euangelium legeretur stantes illud audirēt. Et ne extranei

tranei Clerici sacris initiarentur, nisi testimonium quinque Episcoporum sue Diocęseos proferrẽt. Quod ea industria factum est, vt Manichæis qui tunc temporis irrepebant, via obstrueretur. Vetuit ne manci in Clericorum numerum reciperentur. Duabus ordinationibus mense Decẽbri habitis, 8. Præsbyteris 5. Diaconis & 10. Episcopis consecratis, mortuus est, ac in cęmiterio ad Vrsum Pileatum corpus eius sepultum. Sedem 3. annis & 10. diebus obtinuit ac per 21. dies vacauit.

INNO-

INNOCENTIVS I. PONTIFEX 41. Anno 402.

TEmpore Imperij Theodosij, multis titulis per Claudianum, aliosque laudati, Innocẽtius ad Pontificium munus euectus est: qui præsidio & fauore principis de omnibus bonis benè meriti adiutus, multas pro Ecclesia fecit constitutiones: inter cęteras vt diebus sabbathinis in memoriam dominicæ sepulturæ ieiunaretur, & quod eodem, idem obseruassent Apostoli. Quod ad Iudæos, Pagános & monachos attinet, multos canones edidit. Roma Cataphrygas hæreticos eiecit: Pelagium & Cælestinũ condemnauit, quũ liberi arbitrij vires plus æquo extollentes, gratiæ

neceſsitatem excludebant. Eccleſiam SS. Gerua-ſio & Prothaſio ſacram dedicauit, eamq; magnis muneribus auxit. Sub hoc Pontificè Concilium Burdegalæ celebratum eſt, in quo Priſcillianus Manicheorum aſſecla condemnatus eſt. Apollinaris, Epiſcopus Laodiceæ Hæreſiarcha id temporis vigebat. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolimitanus & Hieronymus Præsbyter Cardinalis firma Eccleſiæ columina in pretio erant, de quorũ eruditione & ſanctimonia ſilere quàm pauca loqui præſtat. Quater ordinationes habuit quibus 30. Præsbyteros, 12. Diaconos & 54. Epiſcopos creauit. Dignitatem 15. annis 2. menſibus & 25. diebus obtinuit, 4. Calendas Aug. obijt ſepultuſque apud anteceſſorem: poſt eum ſedes 22. diebus vacauit.

ZO-

ZOZIMVS I. PONTIFEX 42. Anno 416.

ZOzimus Græcus, Pontifex creatus est, cum sub Arcadio & Honorio fratribus Imperatoribus, bis Roma in potestatem Gothorum venit, accidit anno ab Vrbe condita 1164. à tempore vero Saluatoris 412. In tanta rerum perturbatione nihil suo officio defuit; instituit vt Diaconi in sacrificio manipulos manu læua gestarent; vt sabbatho Paschæ cereus benediceretur. Vetuit ne in publico loco Clerici biberent, prohibuit seruos ad Clericalem statum admitti. Ad Cōcilium Carthagine celebratum, Episcopū & duos Presbyteros misit, per quos inhibuit, ne quicquā

publicè absque Romanæ Ecclesiæ authoritate tractaretur. In eo Pelagiana hæresis penitus explosa & condẽnata est. Eodem tempore floruit Petronius Bononiensis Episcopus, Theophilactus, Chrisostomus, grauissimusq; Ecclesiæ Doctor S. Augustinus. Zozimus 10 Præsbyteros, 3 Diaconos, & 8 Præsbyteros creauit. Pontificatus eius ex opinione Platinæ, anno, & 3. mẽsibus & 12. diebus durauit, sed Panuinius 3. annos, 4. menses & 8. dies in eo statu vixisse sustinet. Sepultus iuxta corpus S. Laurentij fuit, 11. diebus sedes vacua permansit.

BO-

BONIFACIVS I. PONTIFEX 43. Anno 419.

BOnifacius Romanus, Zozimo succesit, non sine graui schismate & opinionum diuersitate. Nam cum hic eligeretur, eodem tempore Eulalius ab alijs denunciatus, eidem opponitur. Quod vbi Honorio Imperatori, qui tum Mediolani agebat, relatũ esset: vtrumque ex Vrbe secedere iussit. Mẽsibus tamẽ septẽ expletis, Bonifacius Romã reuocatus, pro legitimo pastore agnitus fuit. Hic Sotheris decretum approbauit, quò mulier altari & incensum in Ecclesia adhibere prohibebatur. Vetuit non solum seruos ordinibus initiari; verum etiam alieno ære grauatos.

Sacellum honorificentiſsimum in cæmiterio S. Fœlicitatis extruxit, cuius tumbam marmore & argento exornauit. Eo tẽpore Hieronymus(vt in præcedentibus patuit.) Gelaſius Cæſarienſis Epiſcopus, Caſsianus, Eutropius alijque cõplures viuebant. Poſtquam 3. annos, 8. menſes, & 7. dies Pontificem egiſſet, 8. Calendas Nouembris mortuus eſt, viaque Salaria prope S. Fœlicitatẽ ſepultus. Vnica ordinatione 14. Præsbyteros, 3. Diaconos, & 36. Epiſcopos creauit. Sedes 9. dies vacauit. Eulalius poſt eius mortẽ dignitatis ergô in Vrbem reuocatus, reuerti renuit. Qui etiam anno ſubſequente obijt.

CAE-

CAELESTINVS I. PONTIFEX 44. Anno 423.

CAeleſtinus ex Campania oriundus, ad Pontificatum imperante Theodoſio Iuniore peruenit. Hic conſuetudinem canendi pſalmos cum Antiphonis ante inchoationem Miſſæ, introduxit, Pſalmum Iudica me Deus, & Graduale eidem adiecit. Eccleſiam S. Iulianæ dedicauit, eique de ampliſsimis redditibus prouidit. Sub hoc Pontifice Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Chriſtum purum fuiſſe hominem, impio & blaſphemo ore aſſeruit; ſed diuinitatē ſuis meritis poſtea conſecutum fuiſſe. Quam ob cauſam Epheſi Concilium 200. Epiſcoporū co-

actum est; in quo Nestorius & Pelagiani eiusdē farinæ hæretici condemnati sunt. Cælestinus S. Germanum in Britanniam, ac Palladium Episcopos in Scotiam misit, qui Barbaros illos populos ad fidem reducerent. Triginta duos Præsbyteros, 12 Diaconos, & 24. Episcopos tribus ordinationibus mēse Decembri habitis, consecrauit. Obijt vero postquam 8. annis, 10. menses, & 17. dies in Pōtificatu vixisset, 8. Idus Aprilis, Sepultusque fuit in Cęmiterio Priscillæ. Sedes 21. diebus vacauit.

SIX.

SIXTVS III. PONTIFEX 45. Anno 432.

SIxtus huius nominis tertius, natione Romanus, imperante Valentiniano Pontificatum obire cœpit, eo tempore quo Genſericus Vandalorũ Rex, Arrianorum fautor, Catholicos perſequebatur. Sixto hoc per quendam Baſſum calumnijs petito: Concilium 57. Epiſcoporũ congregatum eſt, in quo eius innocentia corã omnibus comperta fuit, & ipſe liber & abſolutione dignus iudicatus, eiuſq; aduerſarius proſcriptione mulctatus, ac ipſius bona Eccleſiæ vſibus Imperatoris decreto adiudicata ſunt. Mortuo tamẽ, tantùm humilitatis & pietatis exemplũ, iniuriæ

immemor Pontifex impédit, vt per se inunctũ, & aromatibus conditum in Ecclesia sancti Petri eundem sepeliuerit. Hic Pontifex Ecclesiã Sanctæ Mariæ Maioris extruxit, quam amplisimis muneribus cumulauit: cuius exemplum & pium institutũ secutus Imperator, plurimas alias erigi procurauit Ecclesias. Sixtus omnibus bonis in pios vsus exhaustis, & 28 Presbiteris, 12 Diaconis, & 52. Episcopis consecratis, ad tranquilliorem vitam transiuit. Eius corpus iuxta S. Laurentiũ repositum. In Pontificatu 8. annos & 19. dies consumpsit. Sedes 22. diebus vacauit. Hilarius Arelatensis Episcopus eximia sanctitate & doctrina, admirandam sui opinionem hominibus ingenerauit.

LEO

LEO I. PONTIFEX 46. Anno 440.

LEo natione Aetruſcus, rarę ſanctitatis & doctrinæ Pōtifex. Qui Attilæ Hunnorū Regi, poſtquam iam Aquileiam cœperat, ac diruerat, idemque Romę exitium inferre ſtatuerat, obuiā factus, perſuaſit vt iter reflecteret: cui acquieſcēs reſpondit ſe duos armatos equites qui ſibi mortem diſtrictis gladijs minitabantur niſi Pōtifici obtemperaret vidiſſe, quos SS. Petrum & Paulū fuiſſe arbitrabatur. Leo ſumma omnium lætitia Romam reuerſus, fidem in integrum reſtaurare cœpit, quæ in pluribus Neſtorij & Eutichis Abbatis Conſtātinopolitani Manichæorum Principis

cipis dolis & inuentis deprauata erat. Quam ob causam Concilium Ephesi ex mandato Theodosij indictum fuit: in quo Dioscoro Alexãdriæ Episcopo hæretico præsidente, Eutiches approbatus & receptus fuit, & Flauianus Constantinopolitanus Episcopus, qui eidem sese opposuerat, condemnatus. Mortuo tamen Theodosio successit Martianus Imperator Catholicus, qui instinctu Pontificis, aliud Concilium Calcedone celebrari curauit: cui 630. Episcopi interfuerunt: à quibus Iesum Christum verum Deum & hominem esse definitũ est: & Nestorius & Eutiches, tanquam veritatis desertores, cõdemnati, Manichæorũque libri exusti, ac Dioscorus confutatus. Verum quæ Hunnorum rabiẽ industriè declinauerat, nõ potuit se à Vandalorum crudelitate Roma liberare, qui ex Africa Genserico Duce, cum magnis copijs aduolantes, ipsam cœperunt & incenderunt: & per 14. dies in obuios quosque sæuierunt: parumque abfuit quin eam solo æquarẽt. Onusti tamẽ præda abeuntes, Leoni reliquias Vrbis resarciendas reliquerunt. Nouas ergo Ecclesias extruere, destructasque reparare aggressus est. Apostolorum sepulchris certum virorum numerum qui Cubicularij vocantur attribuit; Canoni Missæ ante cõsecrationem hæc verba. (Hoc sanctam sacrificium) adiunxit. Instituit ne Religiosa prius capitis velamen portaret, quam eius cõstantia 40. annis probata fuisset. Eius tempore hæretici Acephali dicti, emerserunt,

ſerunt, qui duas in Chriſto naturas negabát. Quę errorem hic Pótifex ſuis ad Catholicos ſcriptis epiſtolis confutauit, 81. Præsbyteris, 31. Diaconis, 86. Epiſcopis creatis, Pontificatumque 21. Annis & 43. diebus vbi adminiſtraſſet, ad meliorem vitam 4. Idus Aprilis commigrauit. Sedes 7. diebus vacauit. Sua ætate Paulinus Nolæ Epiſcopus floruit.

HI-

HILARIVS I. PONTIFEX 47. Anno 461.

HIlarius natione Sardus, eo tempore Pontifex fuit, quo Romanum Imperium multis calamitatibus agitatum fuit. Nam Leone dignitatem Imperialem consecuto, qui primus Græcorum Cõstantinopoli imperauit, plurimi Imperium inuadere conati sunt. Ex Africa enim in Italiam traijcientes Vandali res omnes Imperij animo & cupiditate deuorauerãt, qui tamẽ post data & accepta multa detrimẽta, Leone impellẽte retrocedere coacti sunt. Hic ne Pontifices sibi successorem deligerẽt, inhibuit: quod & de omnibus Ecclesię gradibus intelligi voluit, tres epistolás

stolas doctissimè scripsit, quibus tria Concilia, Nissenum, Ephesinum, & Calcedonense confirmauit, Eutichen, Nestorium, Dioscorũ, eorũq; assecias reijciẽs. Hic tria sacella in Laterano extruxit, primum in honorem S. Ioannis Baptistæ, alterum S. Ioanni Euangelistæ, tertium sanctæ Cruci consecratum: eaque auro, margaritis reliquijsque exornauit. Aliud quoque in S. Stephano ædificauit, amplissimis muneribus Ecclesias donauit, duas bibliothecas erexit. Pontificium munus 7. annis, 3. mẽsibus, & 10. diebus administrauit. Creatis 25. Preæbyteris, 5. Diaconis & 22. Episcopis mortuus est: & iuxta corpus S. Sixti in Sancti Laurẽtij Cripta sepultus. Sedes 10. diebus vacauit. Florebat tũc tẽporis Victorinus Arithmeticus peritissimus, qui Pascha ad cursum Lunarem reduxit; in quò Eusebium & Theophilũ superauit.

SIM-

SIMPLICIVS I. PONTIFEX 48. Anno 467.

SImplicius Tiburtinus, temporibus Leonis, & Zenonis Imperatorum fuit. Ecclesias plurimas erexit, primam S. Stephani protomartyris in Celio Monte, Alteram S. Andreæ nō procul à Sancta Maria Maiore, tertiá S. Stephani non lōgè à S. Laurentio disitam, deinde Bibianæ prope palatium Lucinianum, in qua dictæ Martyris corpus reconditum fuit. Septimanas sic diuisit, vt scirent Præsbyteri in quibus confessiones audire & baptismum conferre obligarentur. Vrbē Romam Præsbyteris distribuit, illam in quinq; regiones dispertiens, SS. videlicet Petri, Pauli, Lau-

Laurentij, Ioannis Lateranen & S. Mariæ Maioris. Hic ne Ecclesiastici à laicis possessione suorum beneficiorú recognoscerent, ordinauit, 15. annis, 37. diebus in officio expletis postridiè Calendas Martij mortuus est, postquam 58. Presbyteros, 11. Diaconos & 86. Episcopos consecrasset, sepulturæque traditus est in Ecclesia S. Petri. Sedes 25. diebus vacauit. Eo tẽpore S. Remigius Remensis Episcopus viuebat, qui Clodoueum Francorum Regem baptismo intinxit.

FOELIX III. PONTIFEX 49. Anno 483.

FOelix tertius dictus, sed verius secundus, Romæ patre Fœlice Presbytero natus, Pontifex fuit, eo tempore quo Odacer Herulorum Dux & Theodoricus Gothus in Italia regnarunt. Hic intelligens Petrum Eutichianum, iam ante exilio mulctatũ per Achatum Episcopum Constantinopolitanum esse reuocatum: ambos pro hæreticis habendos publice pronunciauit. Verùm per Imperatorem de eorum pœnitentia certior factus; duos Episcopos Messenum & Vitalem misit qui vtrumque absoluerent, si eos pœnitere compertum esset. Hi pecunijs corrupti, rem pro

qua

qua legati erant nō perfecerunt. Hinc eos Pontifex tanquam ſimoniacos excōmunicauit; Sibi culpæ conſcius Meſſenus pœnitendi terminum petijt. Fœlix Eccleſiam in honorem S. Agapeti propè Baſilicam S. Laurentij ædificauit. Inſtituit vt ſoli Epiſcopi poteſtatem conſecrandi Eccleſias ſibi aſſumerēt. Duabus ordinationibus mēſe Decembri celebratis, 28 Præsbyteros, 5 Diaconos, & 30 Epiſcopos creauit, ac tandem mortuus eſt: & propè S. Pauli corpus delatus. Pontificatum 9 annis, & 17 diebus rexit. Eo mortuo, Sedes ſine rectore quinque dies manſit. Ijſdem temporibus Damaſcenus doctiſsimus Theologus, & grauiſsimis florebat.

GELASIVS I. PONTIFEX 50. Anno 492.

GElasius, Pōtificatus initio, Manichæos exilio mulctauit, qui in Vrbe adhuc erant residui, eorumque libros publicè cremari mandauit. Messeno cuius supra meminimus, culpā remisit, vbi cōdignam delicto pœnitentiā subijsse intellexit. Humaniter Ioannem Alexandrinum Episcopum profligatū susceptt, quem Petrus & Acacius excommunicati persequebātur: quibus perpetuam indignationem & pœnam Pontifex minatus fuit; nisi ilico resipiscerent. Extruxit Ecclesias S. Euphemiæ in ciuitate Tiburtina, SS. Nicandri & Eleutherij via Labicana S. Mariæ in via

via Laurentina. Clerum summo necessitudinis vinculo complexus est: pauperes quos eleëmosinis fouit vnicè dilexit. Vrbem Romam ne famem pateretur prouidēti administratione liberauit: & vt vir erat doctissimus, hymnos, ad instar S. Ambrosij composuit. Contra Eutichen, Nestorium & Arrium, 7 libros edidit. Plurimas orationes, Epistolasq; ad multos trāsmisit. Anastasium Imperatorem tanquam hæreticorū fautorem excommunicauit. Idem cōtra Vandalos, eorumque Regem propter eandem causam executus est. Ad extremum 4 annis, 8 mensibus, & 17 diebus in Pōtificatu peractis; 11. Calēdas Decembris, è viuis excessit, corpusque eius in Ecclesia S. Petri sepultū fuit, creatis prius, 32 Præsbyteris, 2 Diaconis, & 67. Episcopis. Sedes Apostolica 7 diebus sine Præsule fuit. Inter eos qui tū tēporis in pretio habebantur, Germanus & Epiphanius erant, quorum vnus Ticinensem, alter Capuanum Episcopatum obtinebat.

ANASTASIVS II. PONTIFEX 51. Anno 496.

ANastasius Romanꝰ, Gelasio meritis impar, officij pontificij initio, Imperatorem eiusdem nominis excõmunicauit, quod Acacij partes sua potentia sustentaret: à quo tamen postea ipsemet in errorem pellectus, eiusque opinioni adhæsisse dicitur. Verum sua qua Deus omnibus consulit prouidẽtia permisit, vt dum necessitati naturæ vacaret, eius ilia in latrinas ex aluo deciderent: ac sic morte sublatus, mense Decembri habita semel sacrorum collatione, 12 Præsbyteros, 16 Episcopos ordinauit, eiusq; corpus apud S. Petrum conditum fuit. Pontificatum 2. annis, 36 die-

36 diebus minus administrauit. Sedes post eius obitum, 4. dies vacauit. Eius tẽpore, Trasimundus Vandalorum Rex, omnes Catholicorũ Ecclesias occludi imperauit, & 120 Episcopos in Sardiniã exules misit. Olimpius Arrianus Episcopus in balneo contra augustissimam Trinitatem blasphemans, tribus è cęlo missis sagittis cõfossus perijt. Alius Episcopus nomine Barbas dũ baptizare iuxta Arrianorum ritum intenderet: aqua subito disparuit. Quo miraculo baptizandus ob stupefactus, Catholicis cõiunctus est. Floruére tunc temporis Fulgentius, Egesippus, Faustus, moribus, & vita clarissimi viri.

SYMMACHVS I. PONTIFEX 52. Anno 498.

SYmmachus è Sardinia oriundus. In eius electione plurimæ factiones fuſcitatę ſunt inter Clerum; qui in duas partes diuiſus, duos Pontifices creauit, Laurentiũ & hũc Symmachũ. Ad quã difficultatẽ enodandã Rauennę Conciliũ cõgregatũ fuit, in quo prẹſente Theodorico Rege Symmachus confirmatus fuit: qui ambitionẽ ſua clementia ſuperans competitorẽ Epiſcopũ creauit. Annis quatuor expletis, quidã inter Eccleſiaſticos ſeditioſi, Feſti & Probini Senatorũ authoritate freti, Laurentiũ reuocarũt, nouũq; ſchiſma excitarũt. Huius rei fama audita Theodoricus,

cum

cũ parũ in sacris canonibus versatus esset: quendã Petrũ Episcopũ Romã aliorũ duorũ loco substituendum misit. Huius occasione Symmachus Conciliũ 120 Episcoporũ cõgregauit in quo ab omni labe cuius accusabatur sese eluit. Petrus vero & Laurentius vt schismatici eliminati sunt. In hisce rerũ perturbationib⁹ plures in Vrbe internecioni dati sunt: inter alios Gordianus probatæ vitę Presbyter. Sedatis turbis Symmachus Romã reuersus, Manichæos eiecit, & eorum libros publice exuri imperauit. Exinde animo ad reparandas Ecclesias conuersus, quasdã innouauit, alias à fundamẽtis extruxit. Basilicã SS. Andreæ, Agathæ, Siluestri, Martini ædificauit. Ecclesias SS. Petri, Pauli, Pancratij, Archangeli, quò aquas introduxit reparauit. SS. Iohannis & Pauli, gradus & sacella erigi procurauit. Xenodochia in subsidiũ pauperũ extruxit. Vestibus & argento Episcopis in Sardiniã relegatis subuênit. Captiuos redemit, qui pluribus in locis incarcerati detinebantur. Dominicis & festiuis diebus Martyrũ (Gloria in excelsis Deo) cãtari præcepit. Multaque alia quæ silentio inuoluta relinquo, executus est. Creatis 92 Præsbyteris, 16 Diaconis, 117 Episcopis, 14 Calendas Augusti obijt. Pontificatum 15 annis, 6 mensibus & 22 diebus administrauit, qui 7 diebus vacauit. Eodem tempore Gennadius Massilienſis Episcopus in honore vigebat.

HORMISDAS I. PONTIFEX 53. Anno 514.

HOrmisdas natione Frusinonius,qui Theodorici fauore synodum Romæ celebrauit, in qua Eutichiani hæretici cõdemnati sunt, Legato Cõstantinopolim misit, qui Imperatorem Anastasium & Ioannem eiusdem loci Episcopũ hortarentur vt hæresim abiurarent. Verum eos Imperator male tractatos, sine vllo fructu remisit. Is paulò post sagitta diuinitus emissa ictus,dignam anteacta vita mortem subijt: cui Iustinus princeps Catholicus successit. Hic nulla interposita mora, suos qui Ecclesiæ authoritatem roborarent, legauit: Pontifex,ne suis partibus deesset,

esset, ad Imperatorem suos misit, quos summo cum honore suscepit, & tractauit. Hoc Præsule Manichæorũ reliquiæ ex Vrbe exturbatæ sunt, eorumque libri exusti. Trasimundo in Africa mortuò, Ildericus succesit, qui à patre animo & moribus plurimũ discrepabat. Nam omnes qui in Sardinia exulabãt, restituit. Eodem tempore Galliârum Rex Clodoueus Romam opulentissima munera destinauit. Idem Imperator Iustinus & Theodoricus fecerunt, quorum inuitatu Pontifex Ecclesias S. Pauli & Lateraneñ amplificauit. Hormisdas in Pontificio statu 9 annis, & 18 diebus consumptis, creatisque 21 Præsbyteris, 55 Episcopis, postremum diem, 8 Idus Augusti perexit. Sedes 6 dies vacauit. Eodem tempore florebat & scribebat doctissimus vir Seuerinus, Boetius, Theodorici feruescente tyrannide.

IOAN-

IOANNES I. PONTIFEX 54. Anno 523.

IOannes primus natione Hetruſcus. Sub hoc Pontifice omnes Arriani per Iuſtinum Imperatorem ſapientiſsimum in exilium eiecti ſunt. Hac re indignatus Theodoricus, quippe qui eis fauebat, Ioãni aliiſque præcepit (adeo enim vili ea tempeſtate Pontifices exiſtimabantur) vt ad Iuſtinum ſe conferrent, eique vt Arrianos reuocaret, perſuaderent: alioquin ſi ſecus faceret, ſe omnes Italiæ Eccleſias demoliturum. Iuſtinus tametſi petitionem pro nihilo habuit, importunitate tamen victus, eos reuerti, ſuóque genio viuere permiſit. His peractis Pōtifex regreſſus, per-

per Theodoricũ in tenebricosum horrẽdumq; carcerẽ coniectus', fętore & molestijs miserè perijt. Theodoricus autem, apoplexia correptus etiam interijt, animaque eius (vt cuidam S. heremitę apparuit) iuxta Liparitarum fines in ignẽ demersa est. Ioannes Pontifex priusquam Legationem Constantinopolitanam susciperet, cæmiteria Nerei & Archillei, Fęlicis & Adaucti necnon Priscillæ reparauit. Altare S. Petri pretiosis margaritis & auro exornauit. Eius corpus Rauenna Romam deportatum est. Episcopos 15 creauit. Annis duobus & 8 mensibus Pontifex fuit. Sedes 58 diebus vacua permãsit. B. Benedictus patriarcha & S. Brigida ijsdem temporibus vixerunt.

FOE-

FOELIX III. DICTVS IIII.

PONT. 55. Anno 526.



HIc Fœlix patria Samius, tempore quo Imperator Iustinianus virtute & industria bellicosissimi ducis Bellissarij, Persas, & Vandalos in Africa deuicit, Pōtificio munere functus est. Patriarcham Constantinopolitanum, vt hæreticum ab Ecclesiæ communione separauit. Ecclesiam Sāctorum Cosmæ & Damiani, Romæ prope forum extruxit, eam quę D. Saturnino via Salaria sacra habetur, quæ incendio deflagrauerat, restaurauit. Eadē ætate Cassiodorus viuebat, qui è Seuatoria dignitate, ad vitam monasticā transijt, & Priscianus Grammaticus, Arator quoque

qui

qui Euangelia versibus heroicis cõtexuit, & Iustinianus Valentinæ Ecclesiæ Episcopus. Fœlix quatuor annorum, duorum mensium decurrente spatio Pontificem egit, quo quinquaginta quinque Præsbyteros, quatuor Diaconos, & viginti nouem Episcopos creauit. His transactis, ad fęliciorem vitam quarto idus Octobris commigrauit, & in Sancto Petro sepultus. Sedes per tres dies rectore caruit.

BONI-

BONIFACIVS II. PONTIFEX 56. Anno 530.

BOnifacius natione Romanus, ad dignitatem Pontificalem, non sine magna controuersia peruenit. Nã & Dioscorus ab altera parte Cleri in locum vacantem intrusus est. Hoc tamẽ post viginti octo dies vita functo, diuersarũ opinionum conatus in vnam sententiam coaluerũt, solusque Bonifacius in officio pacificè remansit. Instituit ne Episcopi sibi successores deligerent, quod deinceps per plures Pontifices confirmatũ fuit. Decreuit etiam, vt triduo in demortui Põtificis locum alius surrogaretur, vt hac ratione incommodis emergere cõsuetis, remedium adhiberetur,

hiberetur, & vt tunc temporis populus à Clero secretus impedimentũ non afferret. Duobus annis, totidemque diebus, in administratione peractis, Bonifacius è viuis excedens sepelitur apud Sanctum Petrum. Sedes duobus mensibus vacauit. Iustinianus eo tempore leges reformauit. Inter cætera admirabilis industria Dionysij prædicata fuit, qui Paschæ calculum composuit, licet à Victore Capuæ Episcopo in hoc reprehensus fuerit.

IOANNES II. PONTIFEX 57. Anno 532.

IOannes Romanus, mox, vbi Pontifex renunciatus fuit, Anthemium anathemate percusit, quod Arriana labe infectus esset. Iustinianus adhuc Imperio potiēs, Romanæ Sedi primas tributas volens; Hypatum & Demetrium Episcopos, Romam misit, qui Pontificem suo nomine reuererentur, & munera D. Petri Ecclesiæ offerrent. In Pontificatu duos annos, & quatuor mēses vixit. Sexto Calendas Iunij moritur, sepeliturq; in prædicta Ecclesia, creatis prius 15 Præsbyteris & 21 Episcopis. Sedes sex dies vacua māsit.

AGA-

AGAPETVS I. PONTIFEX 58. Anno 534.

AGapetus Romanus, pontificatus sui principio Constantinopolim petijt, Theodatum Ostrogothorum Regem, Iustiniano Imperatori reconciliaturus, qui ei bellum idcirco minabatur, quod Amalasuntham Athalarici matrem, excellentissimam matronam, & multarum scientiarum linguarumque fœminam, exilio & morte mulctauerat. Pacem cum impetrasset, ab Imperatore rogatur, vt opinionem Eutechianam approbaret: qua postulatione indignatus Pontifex; Ad Iustinianum (inquit) Christianissimũ Principem veniſſe putaui, sed Diocletianum

Christianorum persecutorem inueni. Hac libertate commotus Imperator, sententiam in melius commutauit, Anthemiumque Constantinopolitanum Episcopum, qui Eutichianis fauebat, amouit, ac Mēnas vir Catholicus ei dignitati prefectus, per Pontificem consecratur. Constantinopoli Agapetus mortuus postquam anno, vndecim mensibus vno die minus sedisset Romam plūbeo loculo inclusus reportatur, ac in Ecclesia S. Petri sepelitur. Sedes mensem vnum & viginti nouem dies vacauit.

SYL-

SYLVERIVS I. PONTIFEX 59. Anno 535.

SYluerius natione Campanus, Hormisdæ Episcopi filius, Theodati Gothorum Regis fauore & auxilio, Pontifex electus est. Cuius rei occasione Iustinianus inflammatus, Belliſſarium in Italiam cum copijs emisit qui Neapolini quã Gothi obtinebant, cæpit ac diruit. Romam deinde peruenit, quo insperato appulsu, qui eam occupabant Gothi, territi fuga saluti suæ consuluerunt. Superueniente Vitige Theodati successore in Vrbe circũdatur Belliſſarius: interea tẽporis instigante Vigilio Diacono, Imperatrix Theodora Pontificem rogat, vt Anthemium

Constantinopolitanæ Ecclesiæ resoluat. Cui postulationi cũ nec vellet, nec posset assentiri Pontifex eadem procurante officio priuatur, ac in eius locum Vigilius intruditur: qui per corruptos testes, quod Gothis Vrbem tradere tẽtasset, Syluerio incusat. His proinde pressus angustijs monasticum institutum amplexus, in Pontiam insulam relegatus est: ac ibidẽ non sine opinione sanctitatis 12 Calendas Iulij mortuus est: postquam annum, quinque menses, & 12 dies, Pontifex fuerat. Sedes sex dies vacat.

VIGI-

VIGILIVS I. PONTIFEX 60. Anno 537.

AD eundem modũ quo dictũ est, Vigilius Pontifex creatus est: cuius illegitimæ electionis postea luit pœnas. Nã instanti Theodoræ vt Anthemium, secũdum datam fidem, restitueret refragatus, ipsa Romanis aliquot adiuuantibus Pontificem in iudicium vocauit, suos Romã versus destinat; qui eum in Ecclesia S. Ceciliæ captum, Constantinopolim deduxerunr: vbi à Iustiniano summo cum honore exceptus est. Sed cum à Theodora vt promissum præstaret admoneretur: firmo animo contradixit: hinc à Regina, eiusq; fautoribus grauiter punitus multas

ærumnas sustinuit: præsertim cum eadem libertate qua Agapetus respondisset, ab aduersarijs petitus in Ecclesiam S. Sophiæ tanquam in asilum confugit, qui inde violenter extractus, per totam vrbem fune in collum iniecto, vsque ad vesperã rapitur. Deinde in tenebricoso carcere positus, vitam aqua & pane patienter sustentans, se peiora meritũ pro delicti grauitate prædicabat. Clerici qui eum secuti fuerant, partim in exiliũ missi, partim ad eruenda metalla seruati sunt. Ad extremum liberatus, cum in Siciliam comitantibus suis venisset, calculo Syracusis sublatꝰ est. Corpus eius Romam delatum apud S. Marcellum sepultum fuit. In officio 17 annis, 7 mensibus, exceptis 4 diebus vixit. Vacauit sedes 3 mensibus, & 5 diebus. Eo tempore Constantinopoli quinta synodus celebrata fuit contra Theodorum, aliosque hæreticos, qui virginem Mariam, Christum purum hominem peperisse affirmabant.

PELA-

PELAGIVS I. PONTIFEX 61. Anno 555.

PElagius Romanus, eo tempore Pontificem egit, quo Totila Gothorum Rex Italiam & maximè vrbem Romam vastauit: qui postea per Narsetem deuictus, & debellatus fuit. Hisce malis nihil fractus Pelagius, Ecclesię curam impigrè suscepit: instituitque hæreticos ac schismaticos per iudices sæculares puniri posse: & ne illicitis vijs ad gradus adscenderetur. Ecclesiæ sanctorú Philippi & Iacobi, initia iecit. Cum vero malorum & calamitatũ quas Vigilius sustinuerat author iudicaretur; se iuramento solemni positis ad crucem & Euangelia manibus, à crimine

liberauit. In Pōtificatu, demptis 32 diebus, 12 annos vixit: creatis 26 Præsbyteris, 11 Diaconis, & 39 Episcopis, obijt, & apud S. Petrum sepultus. Sedes 3 mensibus, & 26 diebus vacauit. Eodem tempore Victor Capuanus Episcopus, librum de causis Paschæ composuit, Dionysiumque Abbatem, quod ineptè de eadē rescripsisset redarguit. In pretio tunc temporis habitus fuit Sāctus Heraculanus Episcopus Perusinus.

IOAN-

IOANNES III. PONTIFEX 62. Anno 561.

IOannes Romanus, ex nobili prosapia natus, Pelagio succesit. Sub hoc Pontifice Italia maximas calamitates perpessa fuit, præsertim Alboino adueniente Lombardorum Rege per Narsetem accersito, Romanis infestum, quod de se male sentirent, & ad Reginam siniſtre scripsissent. Interea tamen Pontifex Ecclesiarum restaurationi vacare non destitit, Ecclesiam sanctorum Philippi & Iacobi, per Pelagium inchoatam perfecit: Narsetis animum, tum vehementer in Romanos (qui de se ad Imperatorem inimicè scripserant) exulceratum mitiga-

mitigauit, Armenij eo tempore fidem Catholicam amplexi sunt. Anno decimo tertio, dẽptis quatuor diebus sui Pontificatus mortuus est; & apud S. Petrum sepultus. Sedes 10 mensibus & 3 diebus vacauit.

BENE-

BENEDICTVS I. PONTIFEX 63. Anno 576.

BEnedictus Romanus, qui ſuis præceſſoribus virtute & probitate vitæ reſpondit, Pontifex fuit temporibus nunquam ſatis laudati Imperatoris Tyberij ſecundi, cuius opera & adminiculo, maximam ex AEgypto frumenti copiam aduehi curauit; qua Italiam, & maximè vrbem Romam præſentiſsimo famis periculo eripuit: vnde Imperator, pro ſua qua erga Pontificem vſus eſt reuerentia, proſperos & fœlices Deo ſic prouidente, cõſecutus eſt ſucceſſus. Benedictus grauiſsimis quas à Lombardis Italia patiebatur, cladibus afflictus, ac mœrore oppreſſus, poſt quatuor annos

annos, duos menſes & viginti octo dies, è vita migrauit. Sedes deinceps duobus menſibus, & decem diebus, ſine capite & rectore extitit.

PELA-

PELAGIVS II. PONTIFEX 64. Anno 579.

EA tempestate qua Lombardi Vrbem Romã suis copijs obstinatissimè cinxerãt, & ab eadem obsidionẽ soluere, tempestatibus & assiduis pluuijs, quæ illis temporibus acciderunt, coacti sunt, Pelagius natione Romanus, ad Pontificalẽ statum peruenit. Qui, cum in eius electione cõsuetæ cæremoniæ ob tumultus, & bella frequẽtia obseruari nõ possent (Vrbe enim obsessa non poterat Imperatoris cõfirmationẽ cõsequi) nihilominus tamen ad Mauriciũ Tyberij successorem, qui eius animum emolliret Monachũ nomine Grego-

Gregorium legauit, quem etiam in pontificatu postea successorem habuit. Hic non solum munere sibi delegato appositè perfunctus est: verú etiam libros, quos Moralium titulò inscripsit, composuit. Imperatore assistente & audiente cõtra Eutychianum Constantinopoleos Antistitẽ acerrimè disputauit, eundem conuicit, & ea quæ perperam de resurrectione scripserat, reuocare coegit. Pelagius vero, xenodochio ex paterna domo erecto, cõstructo S. Hermetis cæmiterio, ac Basilica S. Laurentij, peste quæ tunc totam penè Europã infecerat, sublatus est, ac in Vaticano sepulturæ traditus. In Pontificatu 10 annis, 2 mẽsibus, & 10 diebus vixit. Sedes 7 mensibus, 2 diebus minus vacauit.

GRE-

GREGORIVS I. PONTIFEX 65. Anno 590.

GRegorius Magnus, natione Romanus Gordiani Senatoris filius, ex Monacho Leuita Pontifex, reluctanti voluntate creatus est. Nam cum electionis approbatio ab Imperatore necessario requireretur: literis ad eundem datis, ne confirmaretur petijt: ijs tamen à Romanis interceptis, aliæ in contrariam sententiam scriptæ sunt: ac sic electio facta iucundissimis animis cõprobata est. Facta eius & scripta, ob multitudinẽ vix numerari possunt: illis proinde cognomentum, Magni sortitus fuit. Ea tamen pro more nostro sub breuitate transcurremus. Primus se

Seruum seruorum Dei, vocare voluit. Quod nouies in sacrificio Missæ Kyrie eleison dicitur, ei mandato fit. Item alleluya, Introitus, & Postcõmunio canerentur præcepit. Maiores litanias & bonam Romanarum Stationum partem, instituit. Quid? totum vetus officium Ecclesiasticum, & plurima diuinum cultum concernentia adinuenit. Composuit de Sacramentis librum, Antiphonarium diurnum atque nocturnum. In Ezechielem, Euangelia & Iobum commentatus est, His adiecit libros quatuor Dialogorum Pastorale, Moralia ad Theodelindã Longobardorum Reginam Catholicã destinauit. Anglos ad Religionem Catholicã perduxit. Gothos ad veritatis lumen adduxit. Bis Imperatori viriliter sese opposuit, volenti enim illi & imperanti, ne militũ quispiã, stipendijs Romanorũ inscriptus, militia se abdicare posset, licet Religionis ingrediendæ ergô id faceret, nisi vel emeritus esset, vel mãcus & debilis ex vulnere factus: aliàs vero quando ipse Mauritius vt Episcopo Constantinopolitano obedientiam præstaret præcipiebat, qui se Patriarcham vniuersalem proclamari procurauerat. Qua in re, Gregorius potestatem ligandi & soluendi Petro & succesoribus, non autem Episcopo Constantinopolitano traditam fuisse, respondit. Ecclesias Romanas pro viribus reparauit. Gothorum Basilicam S. Agathę dedicauit, domum paternam in xenodochium pro vsibus pauperum peregrinorum cõmutauit: ijs etiam de ve-

de vestimentis prouidit. Et vt breuiter dicam, volétem omnia sigillatim prosequi, tempus potius quam materia deficiet. Hoc vnum asserrere fas, eum ad tã perfectũ virtutis gradũ adscẽdisse, vt eum nemo nisi magnis interiectis spatijs assequi potuerit. Ea in dignitate 13 annis, 6 mẽsibus & 10 diebus continuauit: quibus expletis maximo omnium bonorũ luctu 4 Idus Martij mortuus est, qui dies eius festo sacer habetur, & apud S. Petrum humatus. Pontificatus 5 mensibus, & 19 diebus vacauit.

SABINIANVS I. PONTIFEX 66. Anno 604.

SAbinianus exiguæ sortis, & vt aiunt terræ filius; cuius origo à nemine proditur, Gregorio magno indignus successit: quippe qui eius sanctissimis institutis obstrepere non est veritus. Nam cum grauis incidisset annonæ caritas, instarentque pauperes vt instar demortui, eleëmosynas sibi distribueret: respondit ad aucupandã vanam gloriam patrimonium Ecclesiæ, vt Gregorius fecerat nolle distrahere: adeoq; in ipsum exarsit, vt eius libros vix abfuit quin cremauerit. Ne tamẽ oĩa male ageret, in officio diuino horas distinxit, quas in Ecclesijs dictas oportebat,

& vt

& vt in his lampas perpetuo lucens asseruaretur instituit. Eodem tempore cometa ingentis magnitudinis, aliaq; portenta & prodigia apparuerunt. Pontificatus eius annum vnum, quinque menses & nouem dies durauit, sepultus autem fuit in S. Petro. Post mortem eius, sedes viginti sex dies vacauit.

BONIFACIVS III. PONTIFEX 67. Anno 607.

BOnifacius Romanus, etsi Apostolicã Sedem exiguo tempore, nouem mensium scilicet spatio, obtinuerit,(non enim amplius in officio superstes fuit)nihilominus id ad exitũ produxit, quod per Gregorium inchoatum erat. Obtinuit namque ab Imperatore Phoca, non sine magna tamen contentione, vt Romanę Sedi primæ deferrentur, quod in ea Petrus Apostolorum Princeps sedisset, qui omniũ Ecclesiarum caput nominatus est; & reipsa pro tali tenendus. Synodũ 27 Episcopum, 30 Præsbyterorum, & 3 Diaconorum celebrauit: in qua sub pœna excommunicationis

nicationis decreuit, ne loco Pontificis, aut Episcopi mortui, successor deligeretur, nisi prius elapso triduo: & qui per suppositas personas, Papatum, aut Episcopatum sollicitaret, excommunicationis pœnam incurreret. Eius etiam institutum fuit, vt Episcopi electio à Clero & populo fieret, sed à Principe Ciuitatis approbaretur. Confirmatio autem à Romano Pontifice dependeret. Bonifacio mortuo, sepultura apud S. Petrum decernitur. Sedes 36 dies vacauit.

BONIFACIVS IIII. PONTIFEX 68. Anno 608.

BOnifacius natione Marsus, patria Valeriensis, annuente & consentiente Imperatore Phoca, Pantheon Cybeli, alijsque Paganorum dijs sacrum, dedicauit Beatæ Virgini, alijsque sanctis Martyribus. Eius tempore Hierosolyma capta, omnesque Ecclesiæ prophanatæ sunt, ac lignum sanctæ Crucis, in qua Saluator noster passus est, per Cosdroam inde ablatũ, qui vno conflictu omnem Phocę exercitum deleuit. Hanc ob causam omnibus, exosus vita simul & Imperio per Heraclium succesſorem priuatur. Tum ætatis in pretio erant, Ioannes Gothus Gerundensis

rundensis Episcopus, Europius Valentinus antistes doctrinæ & vitæ rarissimæ, Colūbanus Abbas natione Gothus, qui plurima exædificauit Monasteria. Ipse Bonifacius proprias ædes in Monasterium conuertit, & paulò post sex annis, octo mēsibus, & tredecim diebus expletis obijt, & in S. Petro conditus. Pontificatus post mortē eius demptis quinque diebus, octo mensibus vacauit. Eodem tempore fames & pestis grassabātur, & agri, grauibus aquarum inuidationibus vastati sunt.

DEODATVS I. PONTIFEX 79. Anno 615.

DEodatus ex opinione Panuinij Romanus, SS. Ioannis & Pauli titulo Cardinalis, communi omnium consensu Pontifex creatus, admirandæ sanctitatis fuit: cuius singulare specimen exhibuit, cum leprosum exosculando, ipsum sanitati restituit. Huius tempore Heraclius Cosdroam Persarum Regem prælio superauit, & S. Crucem, quã ex eius manibus recuperauit, Hierosolymam retulit. Hic tamen, quamuis Princeps honestatis obseruantissimus haberetur, errore Eutichiano postea inuolutus fuit. Apud Persas Anastasius Monachus Martyriũ passus est.

Eo-

Eodem tempore Isidorus Hispalensis Episcopus celebris habebatur, doctrinæ & sanctitatis opinione vulgatissimus. Inter cætera hic Pontifex instituit, ne quispiã puellam, à patre è sacro fonte susceptam, in vxorem ducere posset. In Pontificatu 3 annis, & 25 diebus confectis, 6 Idus Nouembris moritur, & apud Sanctum Petrum conditur. Sedes 16 diebus vacauit.

BONI-

BONIFACIVS V. PONTIFEX 70. Anno 619.

PRædeceſſore, hæres & ſucceſſor dignus Bonifacius natione Campanus eo tempore Pontifex fuit, quo virulentam & diabolicam ſuperſtitionem Mahometus euomuit. Bonifacius cum clementiſsimus eſſet, decreuit, vt ſi quis in Eccleſiam ſecuritatis ergo cõfugeret inde vi extrahi non poſſet. Acoluthis, ne reliquias Martyrum attrectarent, prohibuit. Omnes ſacrilegos vbiq; locorum excõmunicationi ſubiacere ordinauit. Cæmiterium S. Nicomedis extruxit. In Eccleſiaſticos præſertim probatę vitæ, ſe liberalem exhibuit. Quinque annorum, & decem dierum ſpatio

ſpatiõ quo Eccleſiam Rexit, vita ſe laudabilem reddidit. Eius corpus ad S. Petrum multis collachrymantibus deportatum eſt. Sedes 13 dies vacua permanſit. Eo tempore Gallus S. Columbani diſcipulus, & Euſtachius eius virtutis imitator floruerunt.

HONO-

HONORIVS I. PONTIFEX 71. Anno 622.

HOnorius natione Campanus, patre Petronio viro Consulari prognatus, tam per literas, quam per Legatos Imperatorem Heraclium admonuit, & quod adeo leuiter, in errorem Monothelitarum incidisset, reprehendit. Ijs salutaribus monitis recipiscens, Pyrrhum Constantinopolitanum Patriarcham, & Cyrum Alexãdrinum Episcopum in exilium misit, eo quod eius à fide defectionis authores fuerant. Plurima memoratu dignissima perpetrauit. Tectum æneum à templo Iouis Capitolini, ad Ecclesiam S. Petri transtulit. Ecclesię S. Agnetis Mometana. S. Pan-

S.Pãcratij via Aureliana.S.Anaſtaſij ad aquas Saluias, Sanctorum quatuor Coronatorum. S. Ciriaci via Oſtienſi.S. Agnetis iuxta S. Sylueſtrum S.Adriani in tribus foris per illum refectæ & reparatæ ſunt. Templum S.Seuerini Tiburti magnis impenſis à fundamentis ædificauit. Cæmiterium SS. Petri & Pauli reparauit.Primus inſtituit, vt à S. Apollinari vſque ad S. Petrum, diebus Sabbathinis fieret proceſsio. Poſtquam Eccleſiam 13 annis,13 diebus minus adminiſtraſſet, poſtremum diem obijt, & apud S.Petrum ſepultus eſt. Sedes annum vnum, 7 menſes, & 13 dies vacauit.

SEVE-

SEVERINVS I. PONTIFEX 72. Anno 637.

SEuerinus Romanus Labieni filius, ad ſtatum Pontificalem promotus, confirmationem (ex abuſu eo tempore introducto) ab Iſaacio, qui tũ in Italia Exarchum pro Imperatore agebat, accepit. Verum in ea re non verum confirmatorem ſed ſacrilegiũ ſeſe prodidit, nam cupiditate theſaurorum qui tunc in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis erant, incenſus, eos immani barbarie abſtulit. Eodem tempore Mahumetus moritur, qui in Imperio tyrannico plures ſucceſſores habuit. Seuerinus vero ſingularis religionis & pietatis vir apud omnes in pretio erat; verus pauperum amator,

amator, & in oēs liberalis, in reparādis Ecclesijs munificus, multaque, si temporis breuitatem spectes, sui nominis monumenta reliquit. In Pontificatu 14. mēsibus vixit, quibus decursis ad fœliciorem vitam euolauit. Corpus eius apud Sanctum Petrum sepultum est. Eodem tempore S. Aurea S. Eligij discipula & 3000. monalium Abbatissa viuebat.

IOANNES IIII. PONTIFEX 73. Anno 638.

IOannes quartus Dalmata, singulari probitate ad Pontificatum peruenit: qui mox pecunias ab Isaacio sacrilego in S. Ioanne Lateranensi relictas sustulit, ijsque plurimos conterraneos in captiuitate detentos, qui in magno erant numero, redemit. Corpora SS. Vincenti & Anastasij Romam aliunde asportari, eaque in S. Ioanne in Laterano recondi curauit, vt illic tuto latentia non amplius in Barbarorũ manus deuenirent. Mense & die nonis post electionẽ, dic clausit extremum, & apud prædecessores sepultus. Sedes mensem & 13 dies vacua fuit. Eodem tempore Vincen-

Vincentius Belluacensis Episcopus, Muardus Archiepiscopus Remensis, Renerus Episcopus Traiectensis, Iudocus Britanniæ Regis filius, qui stirpis regiæ pertæsus ad eremum pertransijt, floruerunt.

THEODORVS I. PONTIFEX 74. Anno 640.

THeodorus Græcus, Theodori Episcopi natione Hierosolomitani filius, Pontifex succedit. Sub hoc Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus, propter hæresim tamen in exilium eiectus, Imperatore Heraclio, qui eius restitutionem sollicitabat mortuo, Romam venit, ac ficto, simulatoque animo, erroris sui veniã postulans, impetrauit & ab eodem Pontifice Christiane viuendi formulam accepit. Verum ea dignitate per fraudes & imposturas recuperata, nõ diu vsus, Senatus Cõstantinopolitani decreto occisus est, eo quod Constantius qui Heraclio successerat,

cesserat, eius procuratione per nouercam intoxicatus perierat. Theodorus corpora Sanctorum Primi & Feliciani ex via Momentana deportari procurauit, eaque auro & argento exornata, in S. Sthephano collocauit, in Cælio Monte. Ecclesias, aliquotq; sacella ædificauit. Pontificatus vero fui anno sexto, mense quarto, & die decimo octauo, pridie Idus Maij mortuus in Basilica Sancti Petri sepelitur. Sedes 52 diebus vacauit.

MARTINVS I. PONTIFEX 75. Anno 647.

MArtinus Tudertinus ad Pontificatum euectus, mox legatos ad Paulum Constantinopolitanum Patriarcham destinauit, qui eum vt Catholicè viueret admonerent. Verum hic obstinatior & insolentior factus, eos in diuersas insulas relegauit: quo facto cómotus Pontifex Romæ Synodum 150 Episcoporũ indixit: in qua ipsum priuauit & excommunicauit. Interea Constantius Imperator, Pauli & adhærentiũ Monothelitarum fautor, Olympium Exarcham in Italiam misit, vt illuc sectam hanc introduceret, & Pontificem perderet, vel ad se vinctum per-

perduceret. Olympius in Vrbem ingressus, eo die quo Papa in Ecclesia S. Mariæ Maioris erat, satellitem constituit, vt id quod in mandatis fuerat, exequentur: qui miraculose cæcitate correptus, Pontifici nihil nocere potuit. Constantius nihilo his prodigijs melior effectus, Calliopam misit, vt Martinum ligatum Constantinopolim mitteret. Quod facilè executus est, maxime cum eo titulo veniisse, vt Pontificem salutaret, diceretur. His si in dijs Cõstantinopolim perductus, per Imperatorẽ in Chersonessum relegatus est: vbi molestijs ęrumnisque confectus, duobus mẽsibus post, minus quatuor diebus, sexto Pontificatus sui anno mortuus est. Eius festum pridie Idus nouembris celebratur. Sedes quatuordecim menses vacauit, quia Sanctissimi viri mors non prius innotuit.

EVGENIVS I. PONTIFEX 76. Anno 654.

EVgenius primus natione Romanus, eximia pietate & bonitate celebratus, supra modũ benignus fuit. Ad eum Constantinopoli Petrus Patriarcha successor Pauli, literas misit, quæ cum in Christo duas operationes & duas voluntates negarent, populo Romano adeo abominabiles, & exosę venerunt, vt Clerus audacter Pontificem impedire (is tamẽ in Sancta Maria Maiore erat) ne celebraret, non sit veritus, nisi prius eas litteras confutare, & exurere, propter impietatem procurasset. Eugenius Præsbyteros Diaconos & Subdiaconos in Cælibatu viuere ordinauit. Ecclesiam

clesiam duos annos & nouem menses rexit, quibus finitis expirauit, postridie Calendas Iunij, & in Basilica S. Petri sepultus. Sedes mensem & 28 dies vacauit.

VITALIANVS I. PONTIFEX 77. Anno 657.

VItalianus Signinus, 14 annos & sex menses Pontificatum dignissimè administrauit, eo tempore quo Regina Persarum Cæsarea Constantinopolim cum paucis Christianis venit: vbi cũ baptismatis aqua se intingi curasset, noluit inde discedere, licet per maritum reuocaretur, nisi ibidem, vt etiam fecit, compareret, & se Christianorum numero adiungeret. Constantius eodem tempore per Italiam iter faciens Romam venit: cui Pontifex cum Clero ad sex miliaria obuiam processit. Ecclesiæ S. Petri pallium auro intertextum dono dedit. Verum ab Vrbe discedens

cedés, eam omnibus ſtatuis excellentioribus ſpoliauit, ac præcipua Eccleſiæ ornamenta diripuit: vnde plus damni 12 dierum ſpatio intulit, quam viginti & amplius annis, Roma à Barbaris bellũ apertum inferentibus paſſa fuerat. Vitalianus regulam Eccleſiaſticam compoſuit, & cãticum organorum conſonantiæ temperauit. In Angliam viros doctiſimos qui eos populos in fide retinerent, immiſit, ac tandem 6 Calendas Februarij mortuus eſt, & cum præcedentibus ſepultus. Sedes quatuor menſes cum dimidio vacauit.

DEO-

DEODATVS II. PONTIFEX 78. Anno 672.

EO tempore quo Italia armis tota inuoluta erat propter aduentum Bauarorũ Duce Caccano & Longobardorũ sub Grimoaldo eorum Rege & Lupo Foroiulianorũ Duce, Deodatus huius nominis 2. natione Romanus, ex Monacho Pontifex electus est. Hic in pauperes charitatem exercebat, in delinquentes clementissimum, in exteros beneuolentissimũ, & ergo omnes vrbanissimũ, sese exhibuit. Basilicã S. Petri via Portuensi reparauit. Excellentissimis ædificijs monasterium S. Erasmi in Cælio Monte ex quo assumptus erat, exornauit. Eodem tempore

pore Cometa immensę magnitudinis, continuis tribus mensibus apparuit. Pluuiæ & imbres innumeri deciderunt, horrendaque tonitrua homines supra modum terruerunt. Hanc ob causam Processionẽ per omnia Vrbis loca instituit. Postquam curã Pastoralem quatuor annis, duobus mensibus, & quinque diebus subijsset, 6 Calendas Iulij obijt, & apud S. Petrum communi omnium dolore planctus sepultus est. Sedes quatuor cum dimidio mensibus vacauit.

DO-

DONVS I. PONTIFEX 79. Anno 676.

DOnus natione Romanus, vitæ sanctitatæ & doctrinæ nomine commendatissimus, ad Pontificatum eo tempore peruenit quo Grimoaldus Longobardorum Rex sinceriſsimus è viuis excesſit. Atriũ S. Petri (quod Paradisum vocant) marmoribus strauit. Via Ostiensi Basilicã Sãctorum Apostolorum: via vero Appiana, eam quæ D. Euphemiæ consecrata est, reparauit. Clerum in certos ordines distinxit, quem etiam honoribus auxit. Quosdam Monachos in Monasterio Boethiano repertos, qui Nestoriana hæresi infecti erant, in varia loca relegauit. Ecclesiã Rauennatem

uennatem cum Romana Sede reuinxit, à qua lõgo temporis interuallo defecerat: hinc Theodorus, eiusdem loci Episcopus, cũ Pontifice in gratiam redijt. In officio Pastorali quinque annis, totidem mensibus, decemque diebus perseuerauit, quibus expletis 4 Idus Aprilis expirauit, & apud S. Petrum conditus. Post eius mortem, Sedes duobus mensibus, & 16 diebus vacauit.

AGA-

AGATHO I. PONTIFEX 80. Anno 679.

AGatho Sicilienſis, vitæ ſanctiſsimæ vir, ex Monacho Pontifex creatus eſt. Tanta in eo bonitas & vrbanitas relucebant, vt neminem à ſe niſi conſolatione refocillatum, diſcedere pateretur. Imperator Cõſtantinus cum eum ſuis moribus adeo conformem videret, concilium contra hæreſim Monothelitarum indixit. Quam ob rem Pontifex Ioannem Portuenſem Epiſcopũ, & Ioannem Diaconum Legatos Conſtantinopolim miſit: vbi à Conſtantino, cum omni humanitate excepti ſunt. Sexta fuit illa ſynodus, cui 282 Epiſcopi interfuerũt, per quã in Chriſto

duas

duas esse naturas, esse duasque operationes concluſum est : contrariaque opinio confutata. In eodem cõcilio Macharius Epiſcopus Antiochenus, excommunicatus declaratus est: è contrario Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus veritatem orthodoxam amplexus est. Eodem tempore Eclypſis Solis & Lunæ accidit, quam vehementiſsima peſtis ſubſecuta est. Agatho poſtquã duobus annis, & ſex cum dimidio menſibus Põtificatũ adminiſtrauit, tertio Idus Ianuarij mortuus est: eiuſque corpus ad S. Petrum delatum. Sedes 17 menſibus vacauit.

LEO II. PONTIFEX 81. Anno 682.

LEo ſecundus, vt erat, eiuſdem cum Agathone nationis, ita nec moribus, nec Religione fuit diſsimilis. Is Græcarũ & Latinarũ literarũ doctiſsimus erat, ceu ea quę in lucem edidit fidẽ manifeſtiſsimã faciunt. Muſices etiam non imperitus fuit: nam Pſalmodias compoſuit. Decreuit vt in Miſſæ principio & fine, populus aqua Luſtrali aſpergeretur. Cõcilio iam prędicto omninò adhæſit, & in eodẽ condẽnatos ſolemniter excommunicauit: Rauennatum Epiſcoporum ſuperbiam depreſsit, qui nullos ſuperiores agnoſcere vel tolerare volebant; electionem Epiſcoporum

scoporum à Clero factam irritam iudicabat, nisi per Pontificem approbaretur. Archiepiscopos propter vsum Pallij & aliorum officiorum exercitium, ad nihil teneri decreuit. Omnibus porro virtutibus quæ legitimum Pastorem decent, cum esset ornatissimus, quinto Calendas Augusti multis flebilis obijt. Pontificatum decem mẽsibus rexit, qui postea annum demptis decẽ diebus vacauit.

BENEDICTVS II. PONTIFEX 82. Anno 684.

BEnedictus Romanus, pietatis & humanitatis commendatione, & charitate qua erga pauperes ferebatur, communi omnium consensu in Pontificem electus est. Hic sacras literas ita percalluit, vt inter omnes primas sibi merito, & optimo iure vendicare posset. Ecclesias S. Petri, S. Laurentij, S. Mariæ ad Martyres, reparauit, quas pretiosissimis margaritis, vasis aureis & argenteis exornauit. Huius exemplo Pertharis Longobardorum Rex, vxorque eius Rhodelinda, plurimas Ecclesias ac Monasteria Papiæ exędificarúnt. Imperator autem Constantinus, fama sanctitatis

Benedicti

Benedicti permotus, rem memoria & se digná peregit: Nam instituit, vt quicumque à Clero Romano Pontifex electus & declaratus esset, vlteriorem confirmationem ab Imperatore, vel ab eius Exarcho non requireret Maximus comes tunc apparuit. Eodem tempore inusitatum illud incendium in monte Vesuuio accidit, quo consumptus Plinius in viuis esse desijt. Benedictus 4. Idus May, Pontificatus sui mense decimo, die vero vndecimo, ad immortalitatis coronam pertransijt, ac cum prædecessoribus sepultus. Sedes duobus cum dimidio mensibus vacauit.

IOANNES V. PONTIFEX 83. Anno 685.



IOannes quintus, in Syria Anthiochiæ natus, propter vitæ integritatem & Religionis zelũ, communibus omnium votis, in sancto Saluatore prope Lateranũ ad Põtificatum assumptus est, eo tempre quo Cõstantinus Imperator animam egit, eique Iustinianus secundus in locum successit. Hic Ioannes à tribus Episcopis Ostiensi, Portuensi, & Veliterno, quemadmodum Leo secũdus consecratus est: qui mos postea à successoribus retentus & obseruatus est. Tunc temporis claruerunt, Fœlix Flauiani patruus, & Ioannes Bergomatum Episcopus, qui à primoribus & Prin-

& principibus illius ætatis, ſanctitatis nomine, magni æſtimabantur. Hic Pontifex complexionis infirmioris & debilioris cum eſſet, librumque de dignitate & præſtantia Pallij compoſuiſſet, primo inaugurationis ſuæ anno, poſtridie Calendas Auguſti, inter mortales viuere deſijt. Corpus eius apud S. Petrũ ſepulturæ traditũ eſt. Sedes tribus menſibus vno die minus vacauit.

CONON I. PONTIFEX 84. Anno 686.

CONon Thracia oriũdus, & in Sicilia educatus, Romæ Præsbyter factus, ad dignitatem Pontificiã hoc modo euectus est. Populo & militibus diuisis, grauis altercatio suborta est: illo Petrum quendam Archiepiscopum, his vero Theodorum Præsbyterum habere cõtendentibus: ad extremum tandem omnium vota in Cononem deferuntur, virum propter modestiam, puritatem, iustitiam, pietatem, ac prudentiam longè venerabilem, vt cæteras qualitates, quas huic gradui conuenientissimas habebat, omittã. Adeò gratus populo extitit, vt Angelici cognomento

mento cohonestari meruerit. Paulò post eius electionem, in ægritudinem incidit, vnde quidã Paschalis Presbyter & Thesaurarius, ambitione turgidus magnũ pondus auri & argenti, Rauennati Exarchæ obtulit; vt Conone mortuo Pontifex assumeretur. Verum Exarchus, licet pecunias receperit, ei promissum non seruauit; rem honestam (fortasse) arbitratus homini auaro & cupido fidem fallere. Conon vndecim mẽsibus & tribus diebus curam Pastoralem peregit, ac vndecimo Calendas Octobris mortuus, in Sancto Petro sepultus est. Sedes sex mensibvs, & 23 diebus, sine rectore fuit.

SERGIVS I. PONTIFEX 85. Anno 787.



SErgius Anthiochenus, natione Syrus, Sanctæ Susannæ Presbyter, Pontifex tunc creatus est, cum populi in duas factiones diuisi pars vna in Theodori, altera in Paschalis totis animi, corporisque viribus, electionem instaret. Sergius autem iam confirmatus, cum Imperatore Iustiniano in Synodo iniustè congregata contradixisset, eundem sibi infestum reddidit. Quamobrem Zachariam exercitus sui Ducem, Romam mittit, eique mandat vt Pontificem constrictũ, vinctumque Constantinopolim ad se pertraheret. Quas insidias Exarchatus milites, Sergio parari

rari olfacientes, ad arma conuolant : ipsumque Zachariam oppressissent, nisi ipsam Pontificis aulam pro asilo subito sibi delegisset: à quo secreto, eius clementiam prius expertus, ad Imperatorem saluus, sanusque remissus est. Postea ad reparationem Ecclesiæ S. Petri sese cõuertit, plurimasque alias Ecclesias restaurauit. Apostolorum statuas quæ vetustate viluerant, reparauit. Corpus S. Leonis Papæ meliori loco reposuit. Particulam Sãctissimæ Crucis exornauit. Sacrificio Missæ hæc verba, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, adiecit: Ecclesiam Aquileiensem ad veritatem Catholicam reduxit: Saxones eius sanctitatis fama exciti, Baptismi sacramento se pertingi procurarunt. Ad extremum in officio Pastorali 13 annis, 8 mensibus, 23 diebus fœliciter, laudabiliterque consumptis, 6 Idus Septembris multis collachrymantibus obijt. Sepulturã apud S. Petrũ sortitus est. Eo mortuo Sedes vno mense & 20 diebus Rectorem desiderauit.

IOAN-

IOANNES VI. PONTIFEX 86. Anno 701.



IOannes sextus natione Græcus, Theophylacto Exarcho in Italiam venienti vitam conseruauit. Nam milites quia Pontificibus semper adhæserant, eique fauerant, ab ipso insidias sibi parari meruentes, eundem occidere decreuerãt. Eodem tempore Gasulphus Dux Beneuentanus aliquot oppida in Terra laboris inuadit, ac diripit, multamque prædam inde abigit: sed Pontificis minis territus subito restituit; captiui vero omnes, qui vbique reperiri potuere, ex Ecclesiæ ærario redempti sunt. Ecclesiam S. Andreæ, & S. Marci restaurauit. Altare S. Petri columnis

exorna-

exorauit Pontificatus sui anno tertio, mense tertio, martyrio (iuxta quorundam opinionem) vitæ finem imposuit, & ad Catacumbas S. Sebastiani sepultus. Sedes mense vno & nouemdecim diebus vacauit. Ijsdem temporibus Sarraceni Africam inuadunt, & magnam Hispaniæ partem occupãt. Hanc ob causam, Venerabilis Beda natione Anglus, qui tum viuebat, apud Christianos Principes graues habuit querimonias.

IOAN-

IOANNES VII. PONTIFEX 87. Anno 705.



IOãnes Grẽcus, eloquẽtiſsimus & ſanctiſsimus, in nulla re maioribus & deſunctis Pontificibus inferior fuit. Ad eundem Iuſtinianus ſecundus Cõſtantinopoli duos Archiepiſcopos miſit, qui ei ſuggererent, vt habita Synodo, Occidentales induceret, ad recipienda ea fidei dogmata, quæ per Orientales determinata & deciſa erant. Re tamen infecta Legati Conſtantinopolim ad Imperatorem reuerſi ſunt. Hic Pontifex in honorem Sanctiſsimę genitricis Dei in S. Petro Sacellum vermiculato opere elaboratum conſtruxit. Eccleſiam S. Eugeniæ reparauit. Cæmiteria

Marcel-

Marcellini, Marci, & Damasi Pontificum, cultiora reddidit, plurimaque alia opera excellentissima præstitit. In dignitate Pōtificia duos annos, septem menses, & septemdecim dies continuauit, quibus completis, decimo quinto Calēdas Nouembris moritur, ac in prædicto Sacello sepelitur. Pontificatus tres menses vacauit.

SISIN-

SISINNIVS I. PONTIFEX 88. Anno 707.



SIsinnius, quem alij Zosimum vocant, natione Syrus, viginti tantum diebus Pontificatum rexit, quo tempore (licet sit breuissimum) euidentissima suarum virtutum signa manifestauit. Quamuis enim pedes podagra debilitatos, manus vero chiragra impeditas haberet, curã tamen qua rempub. laudabiliter administraret nulla in re deposuit: multã materiã ad resarciẽdos Vrbis muros, Ecclesiasq; reparãdas, quæ vetustate collapsæ erant præparauerat. Morte subita sublatus, octauo Idus Nouembris in S. Petrum illatus est, vnde Sedes mensem vnum & dies vacauit.

CON-

CONSTANTINVS I. PONTIFEX 89. Anno 707.

CONstantinus eiusdē cum Sisinnio nationis, Pontifex eo tempore creatus est, quo Romæ graui annonæ caritate per tres annos laboratum fuit. Qua in necessitate cum Pontifex pro virili & paterna sollicitudine omnibus, maximè vero pauperibus subueniret, diuinitus eo tēpore missum esse creditum est. Eo tempore Fœlix Archiepiscopus Rauennas, obedientiam quā Pōtifici debebat, exhibere recusans, Imperatoris Iustiniani iussu Constantinopolim cōstrictus vinctusque deductus est, quem oculis orbatum in Pontum relegauit. Eiusdem Iustiniani rogatu

Pontifex Constantinopolim perrexit, vbi reuerenter, ac honorificè exceptus fuit, ac ibidem eiusdē pedes exosculati sunt. Cum vero Philippicus Iustiniano succesisset, hæreticorum opiniones Romā approbandas & recipiendas misit, quas Constantinus celebrata Synodo denuo cōdemnauit, Philippiciq; nomen è publicis scriptis expungi curauit. Septimo Pontificatus sui anno, die vero vigesimo, mortuus est, & in Sancto Petro, tertia Idus Februarij sepultus. Sedes post eius mortem, vno & quadraginta dies vacauit.

GRE-

GREGORIVS II. PONTIFEX 90. Anno 716.

GRegorius Romanus, sub Sergio Pontifice tantæ integritatis fuit, vt Bibliothecæ Palatinæ præfectus fuerit. Postea vero per Constantinum Pontificem Constantinopolim perductus, ingenij sui vires & acrimoniam in publicis disputationibus, notas, & omnibus admirandas reddidit. Pontifex iam factus mœnia Vrbis, & Ecclesias ruinis quassatas reparauit. Intellecto Longobardos Beneuentano Duce, arcem Cumanam occupasse, nec vllis precibus adduci posse vt eam redderent, Neapolitanos in sui auxilium asciuit, Romanisque copijs couiunctos

eodem misit, qui ex hostium manibus captam arcem recuperarunt. Manifestatis insidijs quæ à Leone tertio tunc temporis Imperatore contra Gregorium tendebãtur, populus arma corripit, conscios & coniurationis authores deprehensos puniunt. Imperatore autem (quia is hæreticus erat) publico edicto mandante, vt è templis imagines Sanctorum abraderentur, Pontifex publicè prædicari curauit, fideles libere ab obseruatione impij mandati posse & debere recedere. Plurima prodigia eodem tempore visa sunt. Tyberis ex alueo intumescens, per totam Vrbẽ, hominis altitudine euagatus est. Præsentia & ingruentia, mala, Cometes qui tũc apparebat, minitari visus est. Eius industria Germani fidẽ amplexi sunt. Plurima ædificia extruxit, Ecclesiã Sanctæ Crucis Hierosolymis, & monasteriũ S. Andreæ reparauit: Sacellum Sanctæ Susannæ in Monte Celio ędificauit: domum paternam in monasterium conuertit, quod titulo Sanctæ Agathæ consecrauit, amplisque possessionibus auxit. Postquam sexdecim annos, nouem menses & vndecim dies officio functus esset, vita defunctus est, ac tertio Idus Februarij in S. Petro inhumatus. Pontificatus triginta quinque dies vacauit. Centum quadraginta septem Episcopos creauit.

GRE-

GREGORIVS III. PONTIFEX 91. Anno 731.

GRegorius Syrus, communi omnium qui Latinarum & Græcarum literarum periti habebantur consensu, Pontifex creatus est. Is magnanimus adeo fuit, & in suis actionibus cõstans, vt in defendenda & retinenda Orthodoxa fide nullius potentiam, vel Principis authoritatem pertimuerit. Charitas in eo ardentissima elucebat, nam pauperibus distributione eleêmosinarum: captiuis eos redimẽdo subueniebat, viduarum & pupillorum protectorem prouidentissimum sese semper exhibuit, vnde & merito Patriæ Parens appellari est meritus. Pontificatu

suscepto, Leonẽ Imperatorẽ excõmunicauit, q̃ imagines SS. cremari mãdasset. Roma per Luithprandũ Longobardorũ Regem obsessa, suppetias non ab Imperatore, vt in eiusmodi euentu fieri solitũ erat, sed à Carolo Frãciæ Rege petijt, cuius interuẽtu, Vrbs ab obsidione soluta fuit. Paratis rebus Gregorius ad resarciendas Ecclesias, adiecit animum. Altare S. Petri, excellentissimis columnis & imaginibus exornauit, ibique Sacellũ ædificauit, quod omnium Sanctorum reliquijs excultius reddidit, eidemq; vasa argentea dedicauit, Sancti Chrysigoni tectũ restituit, ei amplissimas possessiones adiunxit. Plurima monasteria extruxit, Monachisq; formulã viuẽdi præscripsit, mænia Vrbis ruinis disiecta redintegrauit. Instituit vt in Sancto Petro sine vlla mora per hebdomedarios celebraretur. Officij sui anno decimo, mense, sex diebus minùs, nono, magnum omnibus sui desideriũ relinquens, mortuus est, & quarto Calendas Decembris apud Sãctũ Petrum sepultus. Sedes eo mortuo octo dies vacauit.

ZACHA-

ZACHARIAS I. PONTIFEX 92. Anno 741.

ZAcharias Græcus, inter optimos Pontifices meritò referẽdus censetur. Nam tanta benignitate præditus fuit, vt omnes à quibus iniuriam acceperat, iam Pontifex factus beneficijs prosecutus fuerit. Legatos Luithprando Lõgobardorum Regi, qui Ducem Spoletanum infestabat, misit, vt eum de ineunda pace hortarentur: illis vero nihil proficiẽtibus, ipsemet cum Clero eodem profectus est. Eius aduentum Rex intelligens ad octo miliaria obuiã procedit, ac ex equo desiliẽs, eum in Vrbem vsque pedes comitatur: tantumque eius persuasionibus tribuit, vt Ducẽ

prædictum in priſtinam dignitatem reſtituerit. Romaniſque terras quas ipſis in Sabinia ademerat reddiderit, ac omnes in eo bello captiuos liberauerit. Pepinũ Frãciæ Regẽ cõfirmauit. A ſæcularibus tandem negotijs ad Eccleſiarũ curam animo conuerſus, plurimas Baſilicas reparauit, Lateranenſem exornauit, turrim erexit, ac portas æneas appoſuit: imgaines Sanctorum diuturnitate tẽporis vitiatas cultiores reddidit, Bibliothecam Palatinam reformauit. Quibuſlibet Eccleſijs annuos cenſus attribuit, quibus perpetuo in Lampadibus ignis aſſeruaretur. Baſilicam S. Gregorij in Velabro condidit, ac in ea eiuſdem Sancti caput repoſuit. Aedem quoque D. Celiæ ſacram fieri imperauit, eamque dotauit. Altari S. Petri veſtem ſacerdotalem pretioſiſsimam donauit, tectum S. Euſebij reſtaurauit. Idẽ decreuit, vt in Laterano ſingulis diebus eleẽmoſinæ pauperibus diſtribuerentur. His omnibus operibus pijs irretitus, literarũ ſtudium nulla ratione neglexit. Nam Dialogos S. Gregorij ex Latino in Græcum ſermonem tranſtulit. Pontifex decem annis, & tribus menſibus cum fuiſſet, populumque ſumma beneuolentia coluiſſet, moritur, ac Idibus Martij in S. Petro ſepelitur. Sedes duodecim dies vacauit.

STE-

STEPHANVS II. PONTIFEX 93. Anno 752. Et Stephanus 3. dictus Pontifex 94. Anno 752.

ZAcharia mortuo, mox in eius locũ per populum, Stephanus quidam præsbyter suffectus fuit: qui tertio die Apoplexia correptus obijt. Hinc cõmunibus populi & Cleri suffragijs Stephanus secundus Romanus electus est, vir singularis pietatis & probatæ Religionis, actionũ suarum prudens & sedulus executor. Plures Ecclesias restaurauit, multa ad fidem pertinentia, & subtiliter scripsit, & pro animi affectu prædicauit. Hic Pontifex cum nec prece, nec pretio Astulphum Longobardorum Regem, fines Italiæ

ferro & armis demolientem ab instituto deterrere posset, primo ab Imperatore Constantino auxiliares copias, licet frustra, postulat. Quare Pepinum Franciæ Regem adit, qui postulationi assentiens, Arstulphum ad saniora cõsilia primo admonitionibus reducere conatur, quibus cum nihil proficeret, in Italiam cum valido exercitu non sine illius detrimento ingreditur. Eius tamen postea miserijs commotus Pontifex, apud Pepinum egit, vt in Franciam se reciperet, fide prius ab Arstulphò iurata se omnia quæ patrimonio Ecclesiæ eripuerat, restituturum. Quam cùm non seruasset, Vrbemque Romam obsidione premeret, Pepinus iterum Pontificis sollicitationibus inductus, Vrbi Italięque miserijs subuenit, hominemque ad ea omnia præstanda cõpulit, quæ in prima pactione concluſa erant. Hac itaque ratione, Romana Ecclesia antiquas omnes possessiones recuperauit. Rebus ad hũc modum compositis, Stephanus synodum habuit in qua plurima reformauit, Ecclesias quæ obsidione pendente aliquod incommodum passæ fuerant, reparauit. His omnibus magna animi constantia ad finem deductis, magistratus sui anno quinto, mense vero primo mortuus, sexto Calẽdas Maij, cum multis lachrymis in sancto Petro sepelitur. Sedes triginta duos dies vacauit.

PAV-

PAVLVS I. PONTIFEX 95. Anno 757.

PAulus frater Stephani secundi ei in omnibus similimus, nam in eo doctrina, pietas & Religio eminebant. Omnibus sibi iniuriã aut contumeliam inferentibus fauorem & beneuolentiã exhibebat: pauperibus secreto, consilijs & eleëmosynis succurrebat. Idem ijs qui ære alieno grauati in carcere detinebantur prestabat. Corpus Sanctę Petronille sancti Petri filiæ ex via Appiana ad Vaticanum vsque deportari curauit. Constãtino Imperatori per legatos iniunxit, vt imagines disiectas repararet, excomunicationis fulmine eidem si secus faceret minitans: cui Imperator

rator aures præbuit, & obsecutus est. Ecclesias quæ longinquitate temporis deciderant, reparauit, nihilque eorum prætermisit, quæ in verum Pontificem, (vt ipse erat) quadrabant. Pontificatum decem annis & vno mense obtinuit, in S. Petro sepulturam habuit. Sedes tredecim diebus vacauit.

STE-

STEPHANVS IIII. DICTVS III. PONT. 96. Anno 768.

PAulo mortuo, vi & armis renitẽte Clero, Cõstãtinus quidam Desiderij Longobardorum Regis fauore, Pontifex intrusus est, Sedemq; iniustè anno vno administrauit. Id iniquo animo ferens populus, ipsum ab officio dimouit, & cõmuni acclamatione Stephanus natione Siculus in Pontificem electus est: qui propter raram doctrinam, integritatem & bonitatem, suis antecessoribus delectissimus fuit. Hic, vt rebus Ecclesiasticis melius consuleret, concilium generale in Laterano habuit, ad quod Constantinus citatus errorem suum fassus est, decretumque fuit vt Laico-

vt Laicorũ nullus ſiue præuijs gradibus, ſub excommunicationis pœna ad Pontificatum adſcẽderet. His omnibus eo modo confectis, Synodi omnes Conſtantinopoli habitæ condemnatæ ſunt, quibus aliquid in præiudicium imaginum decretum eſt: inſequenti die proceſsio generalis à Laterano vſque ad S. Petrum inſtituta fuit, cui Pontifex ipſe nudis pedibus, cum Clero intererat. Ea autem abſoluta omnia in Cõcilio decreta promulgari imperauit, eoſque omnes excommunicatos haberi, qui non ea approbarent. Quatuor annis, quinque mẽſibus, & viginti 7 diebus, in Pontificatu conſumptis, moritur, ac in Vaticano ſepelitur. Sedes ſolum nouem dies vacauit.

ADRI-

ADRIANVS I. PONTIFEX 97. Anno 772.

ADrianus primus merito inter optimos Pōtifices qui retroactis ſeculis fuerunt referēdus, natione Romanꝰ erat ex illuſtriſsima familia, licet Hiſtorographorum incuria, ſuppreſſa ignoretur. Maiores omnes (vnico Sancto Petro excepto) longitudine temporis quo Eccleſiā rexit, ſuperauit: in Pontificatu enim 24 annos dēptis 24 diebus vixit; magnam omnibus ingenij viribus, conſilijs doctrina & vitæ ſanctitate admirationem ſui ingenerauit. Eius magnitudinis fama allectus Rex Deſiderius Italię terror ad eū legatos deſtinauit, eius pacem & amicitiam rogaturos

gaturos. Verum Pontifex eius perfidiam intus & in cute cognitam habens, nihil certi eo tempore respondit; cumque magis Ecclesiæ trãquilitatem Desiderius in Italia cõmoueret. Adrianus ad eundẽ tres Episcopos legauit, qui eũ excõmunicationis comminatione, ad meliorẽ mentem reuocarent. His nuncijs territus, Lõgobardorum fines versus secesit, ne diuinam irã, vindictamque in se concitaret. Ad extremum, aduertens Adrianus nullam cum Desiderio firmã iniri posse amicitiam; Carolum Magnum in Italiam aduocat, à quo deuictus, fususque, omnem possessionẽ Gregorio tertio ex liberalitate Pepini collatam, Ecclesia recuperauit, ac solemni iuramento Carolus, Romanos Pontifices in ea se perpetuo defensurum affirmauit: ibidemque inuiolabile fœdus cum Adriano pepigit. Post aliquot annos annuente Adriano in Fráconia Synodus habita est, in qua hæresis Fœliciana quæ Sanctorum Imagines penitus extirpandas censebat, abrogata est. Multa ad ornatum & splendorem Ecclesiarum contulit, Corpus S. Pauli thecis argenteis inclusit, vestibulum eiusdem Ecclesiæ marmoribus strauit. Plurimos aquæ ductus reparauit, hominum incuria & vetustate temporis corruptos, inter alios Alsietinũ, Aquarum Iulianarum, ac alios plurimos denique ex Lacu Sabatino in Vaticanam, aquas deduxit. Eius quoq; institutione quotidie in Laterano, centum pauperibus cibus administratus est. Cum Tyberis munda-

mundatione Vrbis Romæ pars imperuia facta esset, nauiculas procurauit, quibus domi inclusis poculenta, esculentaque deferétur, aquis vero ad alueum reuersis centum libras auri cõtulit, ad reparandas ruinas excrescentia aquarum illatas. Tandem sexto Calendas Ianuarij, moritur, magno honore ex bene administrata Republica cumulatus, & apud S. Petrum sepultus est.

LEO III. PONTIFEX 98. Anno 796.

LEo tertius Romanus, ipso S.Stephani profesto, communibus omnium votis Pontifex petitus & declaratus est, tanta dignitate planè dignus Antistes. Nam disciplina Ecclesiastica instructissimus erat, castimoniæ obseruantissmus, eloquentiæ laude clarus, doctrinaque virorum consuetudine delectatus est. Infirmos assidue visitabat, pauperes largitionibus fouebat, tanta in eo erat benignitas, vt neminem odisse posset. Nihilominus tamẽ dum processionibus à Gregorio institutis solemniori die vacaret, insidijs cuiusdã Paschalis Primicerij & Cãpuli Presbyteri

insidijs circũuentus apud S.Sylueſtrũ captus eſt, frequẽtioribuſq; fuſtibus petitus in monaſteriũ S.Eraſmi coniectus eſt, vnde clanculum eductus. Vinigeſij Ducis Spoletani auxilio in priſtinã dignitatẽ reſtitutus eſt. Cuius rei & vitæ Leonis poſtea volẽs Carolus Magnus inire rationẽ; ab omnibus reclamatum eſt, eo quod prima Sedes, quę eſt omnium Eccleſiarum caput à nemine iudicari debeat. Verum Leo innocentiæ ſuæ ſibi bene conſcius, in ſuggeſtum adſcendens, manibus ad Euangelia poſitis, ſe immunem ab omni crimine, cuius accuſabatur iurauit. Quod decimo tertio Decembris accidit, anno Domini, 800. Ne vero beneficiorum à Carolo acceptorum immemor videretur, præſertim cum pro comperto ſciretur, omnium malorum quæ acciderãt per Imperatorem Cõſtantinopolitanorum oſcitantiam & maleuolentiam exſuſcitata fuiſſe, finita Miſſa alta voce Carolus Imperator inunctus eſt, filius vero eius Pepinus Rex declaratus. Rebus ita peractis, Carolus iniuriarum Leoni illatarum reminiſcens, à Campulo & Paſchali pœnas pro crimine exigere parabat: verum Pontifice, tanquam ſequeſtrum ſeſe interponente, abſoluti in Gallias exulatum miſsi ſunt. Pontifex autem Mantuã vt rebus Italiæ finem Imponeret, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ibidem miracula faciebat viſeret, profectus eſt. Ad extremum, vbi Sãcti Pauli tectum reparaſſet xenodochium erexiſſet, & Litanias, quæ in ro-

gationibus legi consueuerunt, vigesimo primo sui Pontificatus anno, pridie Idus Iunij mortuus est, cum prius mirus Cometes apparuisset, & ad S. Petrum ad sepeliendum dilatus est. Sedes decem dies vacauit.

STE-

STEPHANVS V. DICTVS IIII. PONT. 99. Anno 816.

STephanus sub Hadriano & Leone educatus, raræ doctrinæ & integritatis singularis fuit. Hinc omnibus venerabilis in Pontificem eligitur. Tertio sui Pontificatus anno in Gallias ad Imperatorem Ludouicum, qui tunc Aurelianis erat proficiscitur, cui cum Aulæ primores, Antistitemque Aurelianum cum Clero obuiã præmisissent, ipse etiã vno ab Vrbe miliari fit obuius. Et inspecto ex equo descendit, ac in Vrbẽ introduxit, eúque in Palatio regio recepit, vbi mutuo de rebus Italię plurima contulerũt. Ad imitationem Saluatoris nostri, misericordiam exulibus,

qui in Leonem coniurauerant ab Imperatore impetrauit. Crucem secum grauissimi ponderis, quam ipse Imperator S. Petro donauerat, asportauit. Romam reuersus, septimo Pontificatus mo ritur, & in Vaticano sepelitur. Sedes vndecim diebus vacauit.

PAS-

PASCHALIS I. PONTIFEX 100. Anno 817.

PAschalis natione Romanus, maioribus ſuis vitæ integritate & doctrina nulla in re ceſſit. Lothariũ Imperatoris Ludouici filiũ inunxit, qui eius rei ergo Romã venerat, eumq; Auguſti titulo cohoneſtauit. Cũ vero in ſuſpicionẽ homicidij veniſſet propter Theodorũ Primiceriũ, & Leonẽ Nomenclatorẽ ſecreto ingulatos; Concilium 30 Epiſcoporũ indixit: in quorũ præſentia, rationib⁹ & iuramẽto ab eo crimine ſe liberauit. Plurimorũ SS. corpora in Vrbẽ inferri & honoratiori loco recõdi iuſsit. Multos carceribus obdebita mancipatos, pro eis ſatisfaciẽs liberos ire

fecit. Ecclesiam S. Praxedis à fundamentis reparauit, ac ibidem sacrificium sæpissime obtulit. S. Ceciliæ Templum ædificauit, vbi S. Valeriani sponsi eius. Tiburtij Maximi & Vrbanique, ac Lucij Pontificum corpora requiescunt. Basilicã Mariæ Maioris restaurauit. Vbi alia plurima ad finem deduxisset, mortuus, & in S. Petro sepultus est. Septem annis, tribus mensibus, & 17 diebus Pontificiam dignitatem administrauit. Sedes 4. solum diebus vacauit.

EVGE-

EVGENIVS II. PONTIFEX 101. Anno 824.

EVgenius secũdus Romanus, facili via ad Põtificatum ob eximiam bonitatem, vrbanitatem, aliasque virtutes quibus ornatus erat, peruenit. In officio vero quatuor annis honeste se habuit. Cum Romæ magna annonæ caritas accidisset, ita prudenter se gessit, taliterque prouidit, vt nulla vrbs Vniuersi magis grauis, alijsque rebus ad vitam sustentandam necessarijs, abũdaret. Hanc ob causam pauperum communis parens, propter sollicitudinem & protectionẽ paternã, vocatus est. Eius petitione, qui in Gallijs exulabant, Romam remissi sunt, eosque suis facultatibus

cultatibus(quandoquidem eorum bona proſcripta erant) fouebat. Siconem Ducem Beneuentanum Neapolim obſidione premẽtem,ſuis admonitionibus ex officio perſtrinxit: inde tamẽ corpus S.Ianuarij Beneuentum tranſtulit. Eugenius termino iam dicto completo, ad fœlicioré vitam migrauit, magnum ſui deſiderium apud omnes relinquens, cum maioribus ſuis ſepultus eſt.

VALEN-

VALENTINVS I. PONTIFEX 102. Anno 827.

VAlentinus patria Romanus, cum Paschale & Eugenio Pōtificibus educatus est, ac eorum mores imitatus. Diaconus solum cum esset, ad Pontificiam dignitatē euehi est promeritus. Ingenij fuit excitatissimi, ac eloquētissimus, doctissimusq; est habitus. Ante & post promotionē adeo pius & liberalis fuit, vt à maioribus suis nihil discrepauerit. Verum breuioris tēporis curriculo vitæ eius & virtutum exercitio finis est impositus. Nam multorum gemitu & dolore, quadragesimo post Pontificatus adeptionem die excessit è vita, & in S. Petro sepulturæ tradit⁹ est.

GRE-

GREGORIVS IIII. PONTIFEX 103. Anno 828.

GRegorius quartus Romanus, ex Præsbytero titulo S. Marci ad Pontificatum peruenit, eo tempore quo Mauri ex Africa in Italiam traijcientes, magnam eius partem occuparunt: contra quos commouere & excitare Ludouicũ & Lotharium Pontifex non destitit. Gregorius adeo modestis moribus & ingenio vsus est, vt sibi delatam authoritatem Pontificiam exercere non præsumpserit, nisi confirmationem à Legatis Imperatoris (ex abusu tunc temporis introducto) accepisset. Ex doctrina eloquentia, pietate, iustitia & sanctitate, magnam sui nominis cele-

celebritatem consecutus est. Diuitibus & opulentis habenas quodammodo inijciendo, pauperibus semper & fauit & benefecit. Plurimas Ecclesias reparauit. Corpus S. Gregorij eo loci transtulit, vbi nunc requiescit. Sanctorum vero Sebastiani & Tiburtij in Basilicam S. Petri importari curauit. Instante Imperatore, omnium sanctorum solemnitatem instituit, quæ eleganter à Rabano docto Theologo, carminibus & oratione soluta decantata est. Exinde Pontificatus sui anno decimo sexto mortuus est, & cũ alijs Pontificibus sepultus. Sedes decem & sex dies vacauit.

SER-

SERGIVS II. PONTIFEX 104. Anno 844.

SErgius illustri domo Romæ natus, licet eius familia ob scriptorum negligentiam non exprimatur, eam virtutibus clariorē reddidit. Nec mirum, nam sub quatuor excellentissimis Pontificibus creuit, & instructus est. Eodem tempore Romam Ludouicus Lotharij filius, iuuenis arrogans cum valido exercitu venit, quem Pontifex in gradibus S. Petri prestolatus alloquēs inquit, si pacificus adueniret eum sibi portas aperturum, sin secus diuinam vindictam subsecuturam. Quare de pace per Ludouicū securior redditus, in Ecclesiam intrarunt Deo gratias exhibituri,

bituri. Ibidē Rex Italiæ inunctus est, diligentiāque adhibuit, vt quam fieri posset citissime Roma egrederetur, propter detrimenta à militibus illata. Hanc ob causam Sergius ab omnibus magnificatus est. Ex hoc ad reparationem Ecclesiarum conuersus SS. Syluestri & Martini, multorumque aliorum sanctorum restaurauit. Monasterium iuxta SS. Petri & Pauli Ecclesiam exēdificauit. Postquam sanctissime Ecclesiam Christi visibilem tres annos gubernasset, è viuis excessit, ac in S. Petro sepultus est. Sedes duobus cum dimidio mēsibus vacauit. Quod autem ad illud attinet quod Platina eum nomen suum immutasse, anteaq; os Porci vocatū asserit: adeo luculēter à Panuinio disputatum est, vt à nobis quicquam dici non sit necessarium.

LEO

LEO IIII. PONTIFEX 105. Anno 847.

LEo quartus Romanus, vt ſuis maioribus doctrina, prudentia, religione, pietate, ac humanitate inferiorem ſe non præbuit, ita plurimos actibus heroicis ſuperauit. Inter minutiora opera quæ perfecit, eſt quod, ſedilia ante Lateranũ poſita, ex marmore confici curauit. Ornamenta etiam ex opere muſino in S. Martino, & S. Syluestro eius iuſſu habita ſunt. Crucem à Carolo Magno datam exornauit. Corpora Sanctorum quatuor Coronatorum adinuenit, Eccleſiamque in meliorem formam redegit, aliorumque Sanctorum corpora & reliquias in ea collo-

collocauit, quæ omnia maturius cõsiderata euidentissimam suæ sanctitatis fidem faciunt. Suis orationibus ex Ecclesia S. Luciæ basilisco, qui pestifero halitu plurimos infecerat eliminauit. Signo sanctæ Crucis maximũ restinxit incendiũ quod vicum integrum inflammarat. Aduenientibus Sarracenorum magnis copijs, quantula potuit comparata hominũ manu, eis occurrit: primo tamen omnes confiteri & communicare cohortatione sua persuasit: ac ipse oratione facta & signo crucis impresso apud Portum Ostiensem eos in fugam vertit. Romã victor reuersus, opera mancipiorum quæ in hoc bello ceperat, in reparãdis Vrbis mœnibus vsus est. Quindecim turres propugnacula futuras erexit. Vaticanum mœnibus cinxit, & ex suo nomine Leoninam Vrbẽ vocauit: ac tribus eius portis orationes in marmore insculpsit, quibus Deo ascribebatur, quod Vrbem ab hostibus esset tutatus. Argento, portas S. Petri à Sarracenis asportatas reparari curauit. Ecclesiam S. Mariæ via noua ædificauit, ac turrim in Vaticano. Synodum quadraginta septẽ Episcoporum cõuocauit, in qua Anastasium S. Marcelli Cardinalem Presbyterum, multis criminibus conuictum excommunicauit. Vrbem Ostiẽsem colonis ex Sardinia, Corsicaq; deductis habitãdam dedit. Accusatus, quod Romanum Imperium Constantinopolim transferre velle diceretur, se ab hac suspicione corã Lothario purgauit, qui ob eandem causam Romam venerat,

proinde calumniatores puniti. Alidolphus tunc temporis Angliæ Rex eas insulas Ecclesiæ tributarias fecit, & (vt breuibus multa inuoluã) postquam condignam statu suo vitam peregisset, & octo annos, tres mẽses & sex dies Ecclesiam Dei administrasset, 16 Calẽdas Augusti mortuus est, & in Sãcto Petro sepultus. Eius obitu Sedes duobus cum dimidio mensibus vacauit. Eius tempore Ioannes Scotus, celeberrimus & subtilissimus Theologus viuebat.

Hoc loco

HOc loco apponi solet Ioannes quidam Anglicus per Platinã Fœmina vocatus: sed quia res merè fabulosa est, vt doctissimè & prolixissimè deduxit Panuinius, & apud doctos beneq; in historijs versatos prorsus aboleuit hęc opinio, sub silentio pertransimus, de ea nec pluribus nec paucis differentes.

BENEDICTVS III. PONTIFEX 106. Anno 855.



BEnedictus tertius Romanus, ob vitæ sanctitatem ad Pontificatū meritò sublimatus est, Leonique succesit. Eam vero dignitatē duobus cum dimidio annis, & nouem diebus exercuit. Vno quoque autem, ob talem subrogatum Pontificem, præ gaudio exulante, ipse quod minùs capax tanti oneris sibi videretur, plorans ingemiscebat. In officio post longa suspiria confirmatus, tribus diebus continuis ieiunauit, ieiunioque prolixas orationes adiunxit, vt ab omnipotente Deo gratiam, ad munus digne obeūdum impetraret. Ingenij, corporisque dotibus omnibus

omnibus gratus erat. Plures Ecclesias ruinâ minitantes reparauit. Instituit vt in exequijs Episcopi & Præsbyteri, Pontifex cum Clero conueniret; & vice versa, vt in funere Pontificis Clerus non deesset: quod toto vitæ decursu strictissimè obseruauit, ægros sæpe visitauit, suaque pauperibus dispertit, viduis, pupillisque maximopere fauit. His transactis, ad beatiorem vitam migrauit, ac cum maioribus sepultus est. Sedes 15 diebus vacauit.

NICOLAVS I. PONTIFEX 107. Anno 858.

BEnedicto mortuo, populus precib⁹, ieiunijs, alijsque orationibus vacabat; vt à Deo virum tantę dignitati idoneum obtinere posset. Longo tandē tēpore in deliberatione consumpto, Nicolaus ad statū Pontificiū obeundū assumpt⁹ est: qui cū abesset, eiusque electionis fama ad ipsum peruolitasset, in Vaticanū ibidē latiturus cōfugit: vbi postea repertus, Pōtifex inuitus salutatur. Vbi vero Ludouicus Imperator Romā venisset, multis de Pontificatus statu & Imperij cū eo cōtulit. Cum iam Imperator Vrbe excesisset, & in loco quē Quintū vocant, cōsedisset, eodem se Pōtifex transtulit

transtulit: & post multas collationes, ab eodē am plissimis honoribus affectus est. Interea tēporis, Tyberis maximè excreuit, & totā penè Vrbem inūdatione sua deformās penetrauit, in cuius restauratione plurimū desudauit. Ad eundem Michael Imperator Constantinopolitanus, Legatos suos misit, eumq; munificentissimis muneribus prosecut⁹ est. Ioannē Rauennatē Archiepiscopū, quod in iudiciū legitimè vocatus, venire neglexisset, dignitate sua priuauit: qui postea tamē Ludouici Imperatoris precib⁹ & procuratione, cōditionibus datis & acceptis restitutus fuit. Vnde etiā publicè errorem suum agnouit. Ecclesiam S. Marię, vulgo Nouam appellatam reparauit. Ad fidem Bulgarorum Regem, cum omni populo reduxit. Ijsdē Episcopos, à quibus in fide instruerentur, & confirmarentur, misit. Andalisiū Beneuentanū Ducē, cū Ludouico Rege reconciliauit. Sarracenos qui suis Beneuentū vsq; excursionibus intolerabilia detrimēta intulerāt, expulit. Communi cum Imperatore consensu decreuit, ne sæculariū quispiam, imo nec Imperator ipse in Concilio adesset, nisi fortè vbi de fide tractaretur. Vbi Ecclesiam sanctissimè septem annis, nouem mensibus, & tredecim diebus rexisset, mortuus est, & ante portas S. Petri vt viuens adhuc postulauerat, sepultus. Successore Sedes (vt communis fert opinio) octo annos, septem mēses, & nouem dies caruit.

ADRIANVS II. PONTIFEX 108. Anno 867.

ADrianus 2 natione Romanus, Sergio Pontifici familiaris fuerat: à quo cũ denarios quadraginta dono accepisset, famuloque suo domum reuersus tradidisset, vt eos in pauperes qui in atrio instabant erogaret: responsumque esset tantillam summam tãto pauperum numero minime sufficere posse: ipse Adrianus acceptas pecunias pauperibus diuisit, cumque singulis tres donasset, media pars quę miraculose succreuerat, ipsi cesit, in quo magnum præsagium suæ in distribuẽdis Ecclesiæ thesauris liberalitatis eluxit. Proinde conuenienter factum est, vt ei etiam

inuito

inuito tanta dignitas deferretur: quod tantis populi acclamationibus actũ est, vt ab Imperatore confirmatio expectari non potuerit. Quod indigne ferentes Legati, aliquam irati animi significationem dederunt; verum Imperator populo per literas gratulatus est, fœlicemq; eam electionem iudicans approbauit. Per hunc Pontificem Synodus 383 Episcoporũ Constantinopoli congregata est: in qua Photium Patriarcham hominem seditiosum officio dimouit, in eiusque locũ Ignatium suffecit. Conclusum est ibidem, Bulgaros, Romanę Ecclesiæ, non Constantinopolitanæ subijciendos esse. Ad extremum, vbi quinque annos, nouem menses & duodecim dies Ecclesiæ sanctissime præfuisset, ad fœliciorem vitã pertransijt. Eius mortem, sanguis qui tribus continuis diebus pluit, prænunciasse videtur.

IOANNES VIII. PONTIFEX 109. Anno 872.

IOannes octauus, ad Pōtificiam dignitatē euectus, Carolum Ludouici filium, Imperatorem denunciauit. Quare alij duo filij Caroli, qui in Germania habitabant indignati, cū magnis copijs in Italiam contra patruum aduolant: quibus occurrere parans Mantuæ à ſuo medico veneno infectus perijt. Pōtifex iterum omnibus modis, ad Imperium Ludouicum Caroli iam dicti filiū promouere ſtuduit. Hanc ob rem captus in vincula coniectus eſt; ex quibus amicorum quorundam opera liberatus euaſit, ac in Galliasad Ludouicum reſugit: apud quem per annū immo-

ratus,

ratus, eũdem Regem inunxit; ac multas dissensiones inter Primates Ecclesiæ subortas, sua authoritate & prudentia compescuit. Inde recessurus Ludouici permissu, Concilium apud Trecas habuit: in quo multa in Ecclesiasticæ tranquilitatis vtilitatem ordinauit. Flandris qui iam recenter ad fidem conuersi erant, Episcopum legauit. In Italiam reuersus, Sarracenos vastitatem omnibus terris inferẽtes adinuenit, & inter alia Montem Casinum diripuerant, quos Pontifex Principum Christianorũ fretus opera, ex Italia, & ex magna Siciliæ parte depulit. Exinde Carolum tertium, Imperatorem declarauit. Ecclesiã decẽ annos, & duos dies administrauit, ac mortuus, in S. Petro sepultus est. Hic Ioãnes (ne rem memoratu dignam silẽtio inuoluamus) B. Gregorij vitam quatuor libris doctè & elegãter scripsit & absoluit.

MAR-

MARTINVS II. PONTIFEX 110. Anno 882.

MArtinus secundus natione Gallus, indignus qui inter tot grauissimos & honestissimos Pontifices referatur. Iniquis & malis artibus ad hanc dignitatem peruenit, eamque 17 diebus solũ obtinuit: quibus nihil omnino scriptu & memoratu dignum perpetrauit, nisi quod Ioannem quem immediate subsecutus est, perpetuis factionibus inquietauerit, authorque fuerit, quod carceribus mancipatus, multas calumnias & iniurias sustulerit; si tamen id ei laudi duci debet, quod alijs vitio verteretur.

ADRIA-

ADRIANVS III. PONTIFEX III. Anno 884.

ADrianus tertius Romanus, ingenij acerrimi & generosissimi vir, ad Pontificatum assumptus, mox in initio Senatui, populoque Romano persuasit, ne in creatione Pontificis, authoritas Imperatoris, vel confirmatio expectaretur; sed vt electio liberè per Clerum, populumque fieret, quod antea per Nicolaum primũ attentatum fuerat. Verum eo tempore quo quisque de eius animi magnitudine & generositate, fiduciam cõceperat. Mors eius vitę insidiata, honestos eius conatus abrupit, & spes omnes in fumos

mos conuertit, decimo quarto vero sui Pontificatus mense mortuus est, magnum omnibus sui desiderium relinquens, in Basilica Sancti Petri sepelitur.

STE-

STEPHANVS VI. DICTVS V. PONT. 112. Anno 885.

STephanus origine Romanus, eo tẽpore Pontificatum adeptus est, quo Normanni & Daci cõiunctis viribus & armis, vniuersam penè Galliam deuastarunt. Eodem etiam tempore, Carolus vbi duodecim annis Imperio præfuisset, ob segnitiem & socordiam qua eueruatus erat, à suis dignitate priuatus est. Hunni in Pannoniam inferiorem descendentes, eiectis Gepidis & Auaribus, eam suæ ditioni subiecerũt. Plurima sunt huius Pontificis præclara facta, scriptorum ocitantia magna ex parte obliterata. Sex annos & 15 dies dignitatem Pontificiam obtinuit. Eius morte

morte Sedes quinque diebus vacauit. Ea tempora Luithprandus Ticinenſis Diaconus, Valdridus Bauarus, & Bernardus Pictauienſis, clariora & illuſtriora reddiderunt.

FOR-

FORMOSVS I. PONTIFEX 113. Anno 891.

FOrmosus Portuensis Episcopus, quod coniurationis cótra Ioannem sibi conscius esset, in Gallias relicto Episcopatu aufugit. Inde reuocatus, cum parere recusaret, excommunicatus, & omni Ecclesiastica dignitate exutus est, vna cũ veste, formam viuendi clericalem eiurauit. A Martino tamen Ioannis successore, postea in pristinam dignitatem restitutus, ad Pontificatũ potius largitionibus, quam sua virtute peruenit; tametsi multos qui se ei opponerent aduersarios haberet. In eo quinque annis, & mensibus sex perseuerauit, quibus peractis è viuis excessit.

Sedes per 2 dies tantum Rectore orbata permansit. Eo tempore Remigius Antisiodorensis, vir sanctimonia & eruditione celebris claruit.

BONI-

BONIFACIVS VI. PONTIFEX 114. Anno 895.

BOnifacius natione Tuſcus, Formoſo in Pontificatu ſucceſsit: de quo id tantum præcipue referre poſſum⁹, quod legitima electione ad hũc gradum ſublimatus fuerit. Nam ob tẽporis anguſtias nihil ſibi, ſuæque dignitati reſpondens geſſiſſe legitur, quod ſolum viginti ſex diebus in officio perſtitit; mortuus, in Baſilica S. Petri ſepelitur.

STEPHANVS VII. DICTVS VI. PONT. 115. Anno 896.

STephanus sextus, natione Romanus Anagninus Episcopus, initio susceptI Pontificatus tanto in prædecessorem suum Formosum exarsit odio, vt omnia eius decreta & sanctiones abrogauerit, aliaque eius facta resciderit: nec eo contentus supra modum in eum ferocijt: effractis namque humanitatis & modestiæ repagulis, defuncti corpus effodi, duosq; dextræ digitos (quorum in consecratione potior est vsus) amputari curauit, vestibusque Pontificalibus exutum, laicorũ ritu sepeliri iussit; nõ diuini honoris zelo, sed quod ei dum Põtificiam dignitatem ambie-

bat

bat, impedimentum posuisset. Id autem exemplum exauctorandi, & rescindendi superiorum acta, sic in successoribus inoleuit, vt posteri priorum Pontificũ decreta, aut infregerint, aut omnino sustulerint. Porro Stephanus quindecim mẽsibus sedem occupauit, ex cuius morte tres tantú dies vacauit.

ROMANVS I. PONTIFEX 116. Anno 897.

PRoxime Stephanũ, natione & nomine Romanus ſubſecutus eſt, cuius acta etiam ſtatim improbauit, nulla in re ei ſimilior quam in reijciẽdis maiorũ ſuorũ decretis & cõſtitutionibus. Romanus Thijaram Põtificiam ritu ſoleni adeptus, poſt tres menſes morte ſublatus, reliquit.

THEO-

THEODORVS II. PONTIFEX 117. Anno 897.

THeodorus 2. patria Romanus, Formosi partes secutus, plæraq; eius acta restituit, eiusq; fautores offiicijs prosecutus est: Eo tempore Sarraceni Apuleiam ingressi, Montem S. Angeli occuparunt: quos Christiani tumultaria manu cõparata, profligarunt magna de hostibus facta strage. Theodorus vltra vigesimum diem Pontificatum suum non protraxit.

IOANNES VIII. DICTVS

IX. PONT. 118. Anno 897.



IOannes natione Romanus non nonus, sed ex Panuinij iustiori calculo octauus dicēdus est. Hic etiam in Formosi partes inclinatior eius acta restituit, magna populi parte contradicente. Proinde tanta inter eos seditio exorta est, vt parum abfuerit, quin intestino tumultui intenti ad manus deueniretur. Hinc Pontifex Vrbem deserens, Rauennam se contulit, vbi 74 Episcoporum coacta Synodo, Sthephani acta reprobauit, Formosi vero placita in integrum restituit. Itaque dum veteribus tragēdijs fouendis, & nouis excitandis animū occupat, tanta maiestate nihil

dignum

dignũ prorſus effecit. Anno ſecundo, die quinto ſui Pontificatus mortem obijt. Eodem tẽpore Afri magna Calabriæ parte occupata, cũ iam rerum potituri viderentur profligati, & exterminati ſunt, eorum Rege ictu fulminis diuinitus immiſſi, extincto.

BENEDICTVS IIII. PONTIFEX 119. Anno 899.

BEnedictus natione Romanus, tandem post aliquot Pontifices degeneres, & litiũ magis quam pacis amatores: propter humanitatẽ & singularem clementiam, quæ in eo relucebant, ad Papatum adscitus est. Eius tempore vix quicquã memoria dignum gestum est, vel saltem hominum incuria & negligẽtia suppressum. Sedis administrationẽ tres annos, & quatuor menses habuit. His peractis, ad beatiorem vitam, celebrem sui nominis memoriã posteris relinquens, emigrauit. Sedes sex dies vacauit.

LEO

LEO V. PONTIFEX. 120. Anno 902.

LEo quintus, cuius natale solũ Historiographi siluerunt, postquam Pontificatú adeptus est, à Cristophoro familiari suo dominandi cupiditate inflamato, in vincula coniectus est, die post acceptam dignitatẽ quadragesimo. Leo hac contumelia perculsus, paulo post ex hac vita decessit.

CRIS-

CHRISTOPHORVS I. PONTIFEX 121. Anno 902.

CHristophorus cuius iam mentionem fecimus vili & obscuro loco oriundus (patriam enim eius, nec cognomentum à nemine expressum legimus) quemadmodum inquis artibus ad Pontificatum irrepserat, ita infœlici casu ab eodem Deo permitẽte decidit, nam 7 mense auulsus in monasterium retrusus est.

SER-

SERGIVS III. PONTIFEX 122. Anno 902.

SErgius in Christophori locum suffectus, Lateranensem Basilicam tunc ruinis & antiquitate collapsam, restaurauit. Christophorũ è monasterio extractum arcto carceri inclusit. In Gallias profectus. ea quæ sui muneris erant perfecit, ac inde Romam reuersus, Christophorum duriori & angustiori ergastulo reuinxit. Formosi vero acta sic improbauit, vt quos ille sacris ordinibus initiauerat, denuo consecratos esse voluerit. His necdum contentus, adeò indefunctũ desseuit, vt eius corpꝰ è tumulo offossum, capitali sententia, perinde ac si viueret damnauerit, ac tandem

tandem in Tyberim, tanquam hominis sepultura indignum proijci imperauerit. Sergius sui Pontificatus anno septimo, mense quarto, die decimo sexto mortem obijt.

ANA-

ANASTASIVS III. PONTIFEX 123. Anno 910.

ANastasius tertius natione Romanus, in eo clementia & humanitate commendandus est, quod in maiores suos animum ferocem, aut liuidum non habuerit. Maximum vero laudis cumulum hoc nomine promeritus, quod vitam in ea dignitate, quam per duos annos exercuit, ita temperauit, vt nullius iustã incurrerit reprehensionem.

LAN-

LANDVS I. PONTIFEX 124. Anno 912.

LAndus Romanus, Anastasio in Pontificatu succesit, cuius vita fuit adeo obscura, vt à multis Pontificum cathalogo non inseratur, ab alijs vero cum ijsdem refertur. Id porro in confesso est eum nihil laude vel memoria dignum, ad posteros transmisisse. Mensibus sex officio hoc functus est, ijs euolutis, apud S. Petrum sepultus est.

IOAN-

IOANNES IX. DICTVS

X. PONT. 125. Anno 913.

IOannes Romanus, huius nominis nonus, natus patre Sergio Pontifice. Hic antea Præsul Rauennas cum esset, tumultuarijs vulgi seditionibus eiectus fuit. Pontifex vero factus, militaré potius vitam, quam religiosam instituit. Contra Sarracenos etenim qui Græcis impellétibus in Italiam irruperant, Vrbique excidium minabantur, Ioannes Alberi cũ Etrurię Marchionem aduocauit: qui coniunctis viribus cum Sarracenis conferétes, eos fuderunt. Pontifex in Vrbem reuersus, cum insolenter omnem victoriæ laudé sibi vendicaret, Marchionem cõtra se excitauit,

proinde Vrbe pulsus Ortam se recepit, vbi oppido & arce securitatem quesiuit. Postea Hungaros in Italiam aduocat, quam maioribus calamitatibus quam Sarraceni deformarunt. Romani cladibus exacerbati in Albericum ruũt, capiunt, obtruncant. Nec Pontifici in ea rerum perturbatione, maxime à militibus parcitũ est, qui captũ & incarceratum, ceruicali in os eius iniecto suffocant. Pontificem 13 annis, 2 mensibus, & tribus diebus egit. Eum in officio Ioannes quidam subsecutus est, qui quod malis artibus Sedẽ occupasset, & inde statim eiectus fuit, dignus non putatur qui inter Pontifices recensetur.

LEO

LEO VI. PONTIFEX 126. Anno 928.

LEo 6 laudatorũ Pontificũ albo vt inſcribe-retur dignus fuit, quippe qui legitimis ſuffragijs ad Pontificatum peruenit, nec quicquã in vita ferox, aut tirannicũ pre ſe tulit, ſed ad oẽm modeſtiã & virtutẽ, vitã ſuã accomodare conatus eſt, Vrbẽ Romã ſuperiorũ annorũ iniquitate defędatã reformare, tumult⁹ ſedare, corrupta reſarcire, Barbaros ex Italię finibus ſumma animi cõtẽtione arcere ſtuduit. His officijs nõ ſolũ Vrbẽ, ſed & totam Italiam ſibi deuinxit. 7 mẽſibus (ſed lõgiori vita dignus bonorũ iudicio probatus) in officio perſeuerauit. Mortuus apud S. Petrum ſepultus eſt.

STEPHANVS VIII. DICTVS VII. PONT. 127. Anno 928.

STephanus huiꝰ nominis 7 natione Romanus fuit. Rebus ab eo geſtis hiſtoriæ non admodũ referte ſunt. Hoc vnicũ maximè in eius laudem redundat, quod toto vitæ decurſu fuerit manſuetudinis & religionis exẽplar. Sedẽ duobus annis & 42 diebus adminiſtrauit: quibus abſolutis ex hoc mundo migrauit, & ad S. Petrum corpus eius humatum eſt. Ex hiſtorijs autem legimus, eodem tempore Spirineum Bohemiæ Regem, & Vgibertum Lotharangię Principem, qui monaſterium Gemblacenſe erexit, fidem Chriſtianam amplexos fuiſſe.

IOAN-

IOANNES X. DICTVS

XI. PONT. 128. Anno 930.

IOannes decimus Romanus, ad Pontificiã sublimitatem eo tempore euectus est, quo Genua à Mauris capta, & ad extremas angustias redacta fuit. Eodem tempore Racherius, qui ex monacho Pontifex postea factus est, multa opera edidit. Ad hæc quatuor annis decem cum dimidio mensibus Ecclesiam rexit. Rerum autem ab eo gestarum, magnam Historiographi non faciũt mentionem. Mortuus in Sancto Petro sepultus est. Status vero Pontificius 12 diebus vacauit.

LEO VII. PONTIFEX 129. Anno 935.

TRium cum dimidio annorũ,& decem dierum ſpatio, quibus Leo 7 natione Roman⁹, Eccleſię gubernacula adminiſtrauit,vix quicquã memoria vel annotatione dignum, quod ſcriptoribus ſcribendi anſam præbuerit, perpetratum eſt. Hoc vnum ſub ſilentio prętiri non debet, Vvinceſlaum principem honeſtiſsimum, Spirinei Bohemiæ Ducis filium, eodem tempore ſanctitatis ſuæ fama, omnibus ſui maximam admirationem ingeneraſſe.

STE-

STEPHANVS IX. DICTVS VIII. PONT. 130. Anno 939.

STephanus 8 natione Germanus, non magnam sui nominis, vti nec prędecessor, ad posteros celebritatem transmisit: grauissimis enim seditionibus, quibus incessanter agitatus est, quo minus id faceret, impeditus est. Quin imo, vt ex historijs accipimus, adeò insolenter à suis exceptus est, vt mutilatus & mãcus, ab ijsdem effectus nunquam deinceps in publicum prodierit. Ecclesiam nihilominus tres annos, 4. menses, & 12 dies administrauit, quibus consumptis, alteri locum cessit

MARTINVS III. PONTIFEX 131. Anno 942.

STephanum, benignitate & humanitate Martinus imitatus est, nam Ecclesias antiquitate temporis corruptas reparauit, in pauperes maximas eleëmosinas distribuit. Cum vero inter Ottonem Germanię, & Lotharium Francię Regē, ardentissimum bellum coortum esset, velletque Otto manu ad prelium accensa, in Italiam descēdere, hic Pontifex nullum non mouit lapidem quò inter eos pacem cóponeret. Dum hæc agetarentur, ad beatioré vitam euolauit, vbi Cathedram S. Petri 3 annos, 6 mēses, & 10 dies direxisset. Eius ex morte Sedes 10 dies Rectore caruit.

AGA-

AGAPETVS II. PONTIFEX 132. Anno 946.

AGapetus natione Romanus, de quo pauciſſima quę memorentur extant, niſi quod eo tempore Eccleſiam rexerit, quo Hungari Italiã inimiciſsimè infeſtarunt, quos Henricus Bauariæ Dux bis in fugam egit. Agapetus ſingulari bonitate cum eſſet, rempublicam Chriſtianam, maximo zelo proſecutus eſt. Diem clauſit extremum, vbi 9 annos, 7 měſes & 10 dies officio Paſtorali functus eſſet.

IOANNES XI. DICTVS XII. PONT. 133. Anno 956.



IOannes II Alberici filius, vel (vt alij referũt) Alberti Italiæ Regis: qui licet ob vitæ demerita, tam augusta dignitate, parum dignus haberetur, tamen ad Pontificatum fauore & potentia patris peruenit. Quo facto indignati duo Cardinales, litteras ad Ottonem Germaniæ Regem, secreto scripserunt, quibus eum obnixè obsecrabant, vt ouile Christi Saluatoris, pastore tam inidoneo liberaret. Quod vbi ad aures Pontificis deueniisset, vni nares, alteri manum abscidi curauit. Otto vero appulsus, munificentissime, nec aliter quam si alter Pontifex esset, exceptus est.

Et ab

Et ab eodē Ioāne Imperator coronat⁹. Apud quē cum instantissime ageret, vt tanto statui vitam respondētem duceret, nec quicquam suis admonitionibus proficeret, Romæ Concilium contra Ioannem cōgregauit; qui metuens, sibi pedibus securitatem quesiuit, atque Anagninum versus perrexit, vbi aliquanto tempore delitescēs se cōtinuit. Eius in locum Leo ciuis Romanus subrogatus est, qui post decessum Ottonis ab Vrbe officio, amicorum Ioānis procuratione auulsus est, Ioannesque reuocatus, in pristinam dignitatem restitutus, non multo post è vita decessit. Romani proinde Ottonem rogarunt, vt Benedictum à se Pontificem creatū cōfirmaret: quod renuens, Leonem eosdem recipere coegit. Ioānes igitur vbi nouem annis, tribus mensibus & 5 diebus, officio sine laude perfunct⁹ fuisset, obijt. Post eum Sedes duodecim diebus vacauit.

BENE-

BENEDICTVS V.

HIc Benedictus absque iusta causa legitimorum Pontificum cathalogo inseritur: nam vt bene Panuinius annotauit, Schismaticè amicorum Ioannis fauore, dum omnia turbulenta forent, in officium intrusus erat, ac proinde Romani ipsum ab officio dimouere, & potestati Ottonis, qui fines Italiæ excursionibus vastabat, tradere coacti fuerant, ac Leonem pro legitimo Pontifice recipere. Benèdictus igitur per Ottonem in Germaniam eductus, Ratisbonam relegatus est, vbi tristitia & merore paucis post diebus, vitam terminauit.

LEO

LEO VIII. PONTIFEX 134. Anno 963.

EX ijs quæ diximus, ac deinceps dicturi sumus, clarum euadit Leonem, non Benedictũ Ioánnis legitimum succeſſorem fuiſſe. Nam inſtantibus Romanis apud Ottonem, vt Ioannem amoueret, ac alium magis idoneum in eius locũ ſubſtitueret, reſpondit quod ipſorum ac Cleri intereſſet eligere, ſuum vero confirmare. Quare Leonem elegerunt, quem Imperator approbauit. Interea temporis tumultibus exortis, Leone reiecto Benedictum oppoſuerunt: quare Otto non immerito indignatus, Romanos Leonem recipere, ac Benedictum expellere via facti cõpulit.

pulit. Leo tantam in populo perſpiciens animi variationem, decreto ſanxit, vt totum ius, quod populo & Clero in electione cõpetebat, ſoli Imperatori cederet. Eius Pontificatus vltra ſedecim menſes non eſt prorogatus.

IOAN-

IOANNES IX. DICTVS

X. PONT. 135. Anno 965.

IOannes duodecimus Romanus, Narnienſis Epiſcopus, Pontifex electus in eo ſtatu ſeptẽ annis 25 diebus minus vixit, quo tẽpore magnã in populo Romano, inſtabilitatem expertus eſt. Nã cũ è Terra Laboris Ducẽ Geofridũ euocaſſent, vi irruperunt, Ioannemque captum, caſtro incluſerunt, ac poſtea Capuam relegauerunt. Cum vero iam dictus Geofridus, cũ filio quem habebat vnicum, per Principem Capuanum deletus eſſet, Pontifex vndecimo poſt exilij diem, menſe Romam redijt. Iiſdem temporibus Otto vt erat Imperator Catholicus in Italiam cum

cum potenti exercitu descēdit, secum Ottonem filium adducens, qui vbi legitime iniurias Ioanni illatas, per informationē intellexit, auctores puniuit. Postquam Otto iunior Theophaniam, Græcorū Imperatoris sororem, in vxorē duxisset, Ottonis senioris permissu, ambos corona Imperij Occidētis insigniuit. Ad hæc Ioannes Capuę Ecclesiam Metropelitanā instituit, ac paulo post, dies finiuit, vnde & 13 dieb⁹ Sedes vacauit. De hoc refert Panuinius, quod primus extiterit (licet alij Ioanni 11 tribuant) qui nomen Pontifex factus mutauerit, cum antea Octauianus diceretur. Id vero parum probabile videtur, cū ratio nulla cur id faceret subesset, presertim nomine maiestatis & grauitatis pleno præditus, si aliorū Pontificum nomina, minus magnifica inspiciamus.

BENE-

BENEDICTVS V. DICTVS VI. PONT. 136. Anno 972.

BEnedictus, in Pontificatu & calamitatibus, tunc temporis ingraueſcentibus, Ioanni ſucceſsit, qui Curtij ciuis Romani potentiſsimi vi & inſidijs comprehenſus, in S. Angeli caſtellum coniectus eſt, vbi eũdem morte affecit fame, vt quidam volunt, vel iuxta aliorum opinionem laqueo. Quomodocunque euenerit, vnius anni cum dimidio ſpatio ſolum modo in officio perſeuerauit.

DONVS II. PONTIFEX 137. Anno 972.

DOnus 2 natione Romanus, vt vltra annum Pontificatum non protraxit, ita nec res memoria dignas exequi potuit. Hoc vno excellit, quod tantæ modestiæ fuerit, vt nihil in vita perpetrauerit, quod vitij titulo notari debeat. Mortuus in Ecclesia S. Petri sepultus est, Sedem duobus diebus vacuam reliquit. S. Adalbertus Pragensis Episcopus, vitæ sanctitate celeberrimus, Regem Hungariæ baptisauit. Cũ vero in Prussiam trãsmigrasset, ibidem martyrio coronatus est.

BONI-

BONIFACIVS VII. PONTIFEX 138. Anno 974.

BOnifacij 7 patria reticetur, ex eo (vt probabile est) quod parũ se idoneũ pastorem præstiterit: præsertim cũ Magicis artibus Papatum obtinuerit; Hinc in eum à plurimis cõspiratum est, ac proinde fugam capere compulsus fuit acceptisque ex Ecclesia S. Petri pretiosioribus auri & argẽti vasculis, Cõstãtinopolim se recepit: ex quibus cũ magnã argenti summã cõflasset, ea in corrũpendis aduersariorũ animis vsus est. Huic machinationi plures probatæ vitæ homines se opposuere, ac inter alios quidã Iohãnes Cardinalis quẽ auxilio & satellitio improborũ Bonifacius

comprehendi, ac oculos ei erui curauit. Verum non diu pœnam diſtulit, nam quinto die poſt, Pontificatus vero ſui ſeptimo menſe obijt. Sedes viginti diebus vacauit.

BENE-

BENEDICTVS VI. DICTVS VII. PONT. 139. Anno 975.

BEnedictus natione Romanus, simul atque ad Pontificatum peruenit, cõcilium coegit, quo Arnoldum Episcopum Remensem restituit, qui factionibus maleuolorũ, è sede sua deiectus erat. Eodem tempore, Sancti Bartholomæi Apostoli corpus Beneuento Romam, per Ottonem Imperatorem delatum est. Paucis post diebus, Imperator defunctus, in Vestibulo S. Petri (quod aliter Paradisum vocant) inhumatus est, cui Otto tertius eius filius successit. Benedictus vbi Sedem Sancti Petri, octo annos, sex

menses administrasset, ad beatiorem vitá ex hoc mundo migrauit. Status vero Pontificius quinque diebus gubernatorem desiderauit.

IOAN.

IOANNES XIII. DICTVS XIIII. PONT. 140. Anno 984.

IOannes decimus tertius Romanus, seu vt alij volunt, Papiensis, tertio post inaugurationem mense, à Romanis captus, & in arcem Sancti Angeli intrusus est: in qua breuissimo tempore dies miserijs finiuit, & in S. Petro sepultus. Depositionis autē causam hoc loco attexere supersedemus. Quidam tamē volunt, ipsum morte affectū ex procuratione cuiusdam Ferrucij, Bonifacij 7 patris, qui multis valebat opibus: quod filio suo in Pōtificatu impedimēto fuisset, quod minus probabile videtur, præsertim cum si id

in animo Ferrucio fuisset, minori cum periculo & difficultate executus fuisset, antequam Ioannes ad gradum tam sublimem peruenisset.

IOAN-

IOANNES XIIII. DICTVS XV. PONT. 141. Anno 985.

IOannes 14. Romanus, nauem Eccleſiæ octo menſibus direxit. Initio Pontificatus Clerum inuiſum & odioſum habuit, ac vice verſa eũ Clerus ceu inimicum proſecutus eſt. Primus fuit qui peſsimo ſucceſſoribus relicto exemplo, parentibus & amicis, bona temporalia & Eccleſiaſtica diuiſit. Ad extremum mortuus, in Eccleſia Sancti Petri ſepultus eſt. Eodem tempore ingentis magnitudinis cometa ſeſe exhibuit. Capua & Beneuentum Vrbes, maximis terrę concuſsionibus agitatæ ſunt.

IOANNES XV. DICTVS

XVI. PONT. 142. Anno 985.



IOannes decimus quintus, natione Romanus, propter raram doctrinã celebris, plurima opera eleganter composuit. Cum vero seditionibus Crescentij qui Romæ principatũ ambiebat, plus æquo vexaretur, in Etruriam voluntario exilio secessit. Verũ cum Crescẽtius Othonem Pontificis incommodis commotũ, in Italiam cum copioso exercitu descendere intelligeret, precibus & legationibus Ioannem rogauit, vt Imperatori ab incæpto desistere persuaderet. His euictus postulationibus in Vrbem reuersus est, cui obuiam Crescentius cum sequacibus factus, eundem

dem ad Lateranum vsque comitati sunt, atque in portę vestibulo, eius pedes exosculati, veniam sibi postulantes obtinuerunt. Ad extremum anno decimo, mense sexto, die decimo sui Pōtificatus mortem obijt. Qui postea sex dies Vicario successore caruit.

GRE-

GREGORIVS V. PONTIFEX 143. Anno 995.

IN gratiam & fauorem Othonis Imperatoris, qui tunc Romæ aderat, Gregorius 5 natione Saxo, quod ex eius esset prosapia Pontifex declaratus est, antea Bruno vocat⁹. Qui Othone postea ex Italia reuerso, cum per omnia Romanorũ tumultibus inquietaretur, primo in Etruriã, mox in Germaniá sese recepit. Dum hæc agitarentur, Crescentius Consul designatus, plena & integra authoritate Pontificem quendam Græcum, Ioãnem Episcopum Placentinum, non minus opulentia, quam doctrina pollentem creat. His auditis Imperator cum ingenti exercitu in Italiam ingre-

ingreditur, quem Romani portis apertis introduxerunt. Crescentius autem & Ioannes, minus sibi fidentes, se in arcem receperunt, qui paulò post apud Imperatoriam Maiestatem errati, veniam se consecuturos sperantes sese dediderunt. Exercitus autem potestati traditi, Crescentius subito occisus est, Ioannesque dignitate & statu priuatus, lumine simul, ac vita spoliatus est. Sic Gregorius post vndecimum exilij sui mensem, dignitati pristinæ restitutus est: qui protinus sanxit, vt Imperatoris eligendi authoritas penes solos Germanos resideret, ac deinceps à Sede Apostolica confirmaretur: licet Panuinius innuat id decretum à Gregorio 10 emanasse. Post duos annos & quinque sui Pontificatus menses, obijt. Sedes 15 dies vacauit.

IOAN-

IOANNES XVI. DICTVS XVII.

ABsque merito hic Ioannes Pontificum catalogo inscribitur (vt etiam apertè Panuinius annotauit) quandoquidem fauore Crescentij quē corruperat, dignitatē Papalem inescauerat, præsertim Gregorio tunc temporis legitimo Pastore adhuc superstite, ac proinde dies suos misera morte terminasse fertur, vbi Sedē schismaticè decem mensibus occupasset, que 20 diebus vacauit.

SIL-

SILVESTER II. PONTIFEX 144. Anno 998.

PLatina opinionẽ cuiuſdã Martini Ciſterciẽſis ſecutus, plurima mala in odiũ & ignominiá Silueſtri ſecundi, natione Galli congerit: quod videlicet Magus & Nigromanticus fuerit, quod opera dæmonis creatus fuerit Pontifex, à quo etiam reſponſum accepiſſe refert, ſe non prius moriturum, quam Hyeroſolimam profectus eſſet, quodque Miſſam ad Sanctam Crucem in Hieruſalẽ celebranti, ſe mori oportere ex prognoſticatione dæmonis in mentem venerit: qua ex cogitatione compunctus, errorem ſuum, & culpam confeſſus ſit, ac quod poſt mortem ibi

ibi se sepeliri curasset, quo corpus eius currui impositum, per duos equos traheretur; qui cũ in S. Ioanne Lateranensi constitissent, ibidem sepulturæ traditum fuisse. Quæ omnia vt fabulosa ac mera mendacia reijcit Panuinius, multisque authoritatibus docet Syluestrum, antea Gilbertum vocatum, Philosophum & Mathematicum fuisse excellẽtissimum: ac proinde primo Remensem Episcopum, deinde Rauennatem, ac postremo Pontificem maximum creatum fuisse. Sed cum Mathematici eo tempore ab imperita multitudine parui ęstimarentur, Nigromantiæ addictus fuisse creditus fuit. Dignitatem Pontificiam 4. annis, mense vno & decem diebus obtinuit.

IOAN-

IOANNES XVII. DICTVS XVIII. PONT. 145. Anno 1003.

IOannes decimus ſeptimus, qui potius decimus ſextus dicendus eſſet. Nam alter (de quo ſupra diximus) ſchiſmaticus, & quo ad Natalè ſolum attinet, incognitus. Quatuor tantum menſes, & viginti dies in Pontificatu vixit. Hinc euenit, quod nihil memoria dignum poſt ſe reliquerit. Eius tempore maximus Planeta apparuit, terribileſque terræ motus acciderunt.

IOANNES XVIII. DICTVS XIX. PONT. 146. Anno 1004.



DE Ioāne 18, natione Romano, pauca memorabilia, & quæ ad posteros transmittantur digna reperiuntur. Nam se totum socordiæ & ignauiæ mancipauit. Papatum quatuor annos & totidem mēses obtinuit: quibus euolutis, 19 diebus Rectorem non habuit. Christianam rempublicam Robertus Galliarum Rex, maximè illustrauit. Nam vitæ sanctitati, singularem doctrinam coniunxit, qua adeo coruscabat, vt in publicis disputationibus, neminem sibi parem reperiret.

SER-

SERGIVS IIII. PONTIFEX 147. Anno 1009.

SErgius quartus Romanus, homo admodum tractabilis, modestus, ac clemens fuit. Et is habitus, qui in pauperes plurima charitate commendatissimus erat. Adeò prudenter & vrbanè toto sui Pontificatus tempore, sese in omnibus rebus gessit, vt in nullius reprehensionem, meritò incurrerit. Eius exhortationibus & persuasione, Christiani Principes animati, coniunctis viribus & armis, Sarracenos Scicilia expulerunt. Qua in re maximam sui nominis celebritatem, Guilhelmus Normannus cognomēto, Forte, vel Ferreum brachium, propter animi corporisque

fortitudinem consecutus est. His peractis, Sergius relicta suę sanctimonię opinione gratissima secundo sui Pontificatus anno, die vero decimo quinto, inter viuos esse desijt. Et in S. Petro sepulturæ mãdatus est. Sedes octo diebus vacauit.

BENE-

BENEDICTVS VII. DICTVS VIII. PONT. 148. Anno 1012.

SErgius, Benedictum octauũ ſucceſſorem habuit, natione Tuſculanum. Hic Pontificatus ſui initio, Henricum Bauarum, qui illius ergo Romam venerat, Imperatorem coronauit; ad quem Othone tertio defuncto, Imperium deuolutum erat. Poſt huius obitum Benedictus à factioſis perturbatoribus, è ſede & poteſtate deturbatus eſt, aliuſque in eius locum ſubrogatus. Verum vbi cum inimicis in gratiam, odijs & ſimultatibus ſepultis redijſſet Antipapa extruſo, in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt: in quo vndecim annis & 44 diebus perſeuerauit. Mortuus in

S. Petro ſepulturam ſortitus eſt. Ex hiſtorijs hoc de ipſo legitur, quod per viſionem quidam Epiſcopus eũ nigro equo inſidentẽ, & per ſolitudinẽ errantem viderit, ſciſcitantique cauſam Benedictus reſpondens, ſupplicauerit, vt ſuo nomine certam pecuniæ ſummam, certo aliquo loco recõditam, & à ſe demõſtratá pauperibus erogaret: affirmans omnes eleëmoſinas à ſe viuẽte factas ſibi nihil omnino profuiſſe, quod illę ex rapinis & iniuſto quæſtu, factæ fuiſſent.

IOAN-

IOANNES XIX. DICTVS XX. PONT. 149. Anno 1024.

IOannes 19 natione Romanus, iuxta quorundã opinionem, ex Episcopo Portuensi, vel secundum alios, nullis ordinibus initiatus ad ad supremam Ecclesiæ dignitatem peruenit. Qui licet eã vndecim annis, & nouem diebus administrauerit, nihil tamen memoratu dignum à se gestum reliquit, nisi quod Conrardum Sueuum, qui Hẽrico succesit, Imperij corona insigniuerit, qui ob eam causam in Italiam aduentarat, Ioannis tamen vita sua laude non caruit. Eius morte Sedes octo dies vacauit.

BENEDICTVS VIII. DICTVS IX. PONT. 150. Anno 1032.

BEnedictus nonus Tusculanus, vt à nonnullis refertur, Ioannis Pōtificis nepos: quem Romani ignauiæ eius pertæsi (vt factitare tunc temporis solebant) à dignitate amouerunt, aliumque Siluestrum tertium, antea Ioannem Cardinalem Sabinum, suffecerūt: quo post 40 dies ab officio amoto, Benedictus iterum restituitur. Verum ne in eadem incommoda reincideret, cum timeret libere cessit, vel vt alijs placet, Ioanni Archidiacono, qui nomen Gregorij sexti obtinuit, vēdidit. Ad extremum Benedictus, vbi pluribus vicibus Pontificatum decem annis, quatuor mensibus

sibus & 9 diebus administrasset, mortem obijt. Qui vt ait Platina, imagine horrenda cuidã apparuit, causamque interrogatus respondit, eam esse Dei & S. Petri, quod eius officium indignè adeo administrasset, voluntatem. Panuinius aliud adijcit: quod nimirum Benedictus restitutus, aliũ secum Ioannem nomine ordinari petierit: vnde accidit, vt tres Pontifices eodèm tempore extarent, qui tamen proborum virorum authoritate & precibus annuentes, iuri & electioni suæ cesserunt: ac Ioannes Gratianus Archipræsbyter, in eorum locum subrogatus est, qui nomen Gregorij sexti delegit, de quo postea latius.

SILVESTER III.

HIc iusta ratione, è Pontificum Cathalogo expungi deberet, quandoquidem (vt prædictum est) cum Cardinalis Sabinus esset, in depositione Benedicti, Pontifex non patrum electione, sed ab alijs corruptis, & ad hoc subornatis hominibus factus sit. Vnde expleto 49 dierum curriculo, ab officio pulsus est, & Benedictus restitutus.

GRE-

GREGORIVS VI. PONTIFEX 151. Anno 1045.

QVibus cuniculis, quoue modo Gregorius 6 creatus Pontifex fuerit, ſuperius in Benedicti vita declaratum eſt. Eo tempore Henricus tertius, in Italiam cum magno exercitu deſcendit: vbi coacta Synodo, prædictos Pontifices officio & dignitati renunciare coegit, & vt refert Panuinius, Gregorium Cluniacum exultatum miſit, & Sindegerum Bambergenſem Epiſcopum, Pontificem denunciari curauit, qui ſe Clementem ſecundum vocauit. Verũ de Gregorio hiſtoriæ referunt, quod Sedem Apoſtolicam negligentia prædeceſſorum vileſcentem, hono-

honoratiorem reddiderit, Ecclesiæ iurisdictionem in integrũ restituerit, itinera securiora effecerit, quæ à grassatoribus maxime suo tempore infestabantur. Cum vero sese moriturũ animaduerteret, vt siniſtram opinionẽ quam de se populus cõceperat, à se auelleret: ordinauit vt mox post obitum corpus eius ante Ecclesiam, portis clausis deponeretur, quæ si nutu & voluntate diuina vltro aperirentur, sepultura dignus, sin minus damnationi subiacere diceretur. Cum iam, vt in mandatis dederat, omnia confecta forent, ex improuiso, ventus validus exortus portas reserauit: vnde omnibus qui tũc aderant admirantibus, idẽ cum euidentissima sanctitatis opinione, sepultura honoratus est.

CLE-

CLEMENS II. PONTIFEX 152. Anno 1047.

CLemens 2, antea, vt iam dictum est, Sindegerus appellatus, voluntate & imperio Hérici tertij factus Pontifex; ex cuius manibus Imperij coronam recepit, Romanosque iuramẽto se astringere coegit, quod deinceps electioni Pontificum, nisi ab Imperatore adacti, sese non interponerent. Nihilominus tamen, Imperatore in Germaniam reuerso, Romani Clementem contra suum arbitrium euectum, veneno è medio sustulerũt. Hinc nono post inaugurationem mense, vita & dignitate spoliatus obijt.

DAMA-

DAMASVS II. PONTIFEX 153. Anno 1048.

DAmasus 2. Bauarus cognomẽto Bagniarius, vel vt alijs placet Pepo, dignitatem Pontificiam vi, & contra Cleri, populique volũtatem occupauit. Vnde, iusta Dei vindicta, nõ amplius quam viginti quatuor diebus, eadem poritus est: hoc ita refert Platina, qui hoc adhuc adijcit, secundum quorundam opinionem, merito inter Pontifices computari non oportere. Verum Pãuinius contrarium omnino censet (excusat tamen Platinam, propter magnam qua tunc temporis laborabatur librorum penuriam) ac legitimis authoritatibus probat, non solum Damasum,

sum, verum etiam tres immediate subsequentes, honestissimos & sanctissimos viros fuisse, quippe qui sua industria Ecclesiasticũ statũ, multis titulis illustrarunt, ac omnes quatuor Henrici tertij authoritate, & procuratione, electi fuerunt.

LEO

LEO IX. PONTIFEX 154. Anno 1049.

LEo 9 natione Almannus, Episcopus Tullensis, antea Bauno vocatus, ad eam dignitatem hoc pacto peruenit. Romanis Imperatorem rogantibus, vt sibi de vno Pastore prouideret: illis hunc Episcopum probatæ & sinceræ vitæ legauit. Qui cum Romam ornatu Pontificio proficiscereturr, Abbas Cluniacensis, & Hildebrādus monachus, ei obuiam processerunt, consiliumque dederunt, vt tanquam homo priuatus deposito habitu in Vrbem ingrederetur: quod authoritas creandi Pontificem, non Imperatori, sed Clero populoque Romano competeret. Illis in

omni-

omnibus acquieuit, seipsum ob nimiam simplicitatem redarguens. Romam appulsus fauore & auxilio Hildebrandi, Pontifex creatus est, & ipse Hildebrandus Cardinalis factus. Eodem tempore Leo cogitãs Beneuentum per Gisulphũ Normannum, superioribus diebus occupatum recuperare, ipse cum Cæsaris exercitu victus, in manus ipsius Gisulphi captiuus venit, quem tamen honeste cum securo comitatu, Romam remisit. Deinceps domum suam pauperibus & peregrinis semper patentem habuit. Cũ vero semel vno dierum vesperi, leprosus ei occurrisset, misericordia motus, eundẽ in proprio lecto fouit: qui cum postridie non reperiretur, Saluator fuisse putatus est. In oĩbus Religionis pũctis, se maximè diligentem exhibuit. Berengarium hæreticum excommunicauit. Imperatorem Constantinopolitanum suis orationibus eo adegit, vt sepulchrum Iesu Christi à Barbaris dirutũ, denuo restauraret. Ad extremum morte sublatus est, postquam Ecclesiam quinque annis, duobus mensibus, & sex diebus administrasset.

VICTOR II. PONTIFEX 155. Anno 1055.

HEnrici Imperatoris authoritate, quē Romani maxime formidabāt, Victor 2 antea Glebādus, Bauarꝰ nominatꝰ, ad Papalē dignitatē promotus est: & ob eā causam Hildebrādus ad Imperatorē legatus est. Victor cōfirmatus, Florētię Synodū, cū cōsensu Imperatoris, cōgregauit: in qua plures Episcopi ob simoniā, alij propter fornicationē, dignitatibus priuati sunt. In eodē formam bene viuēdi Ecclesiasticis proposuit, ijs pœnam statuit, qui leges Canonicas transilirent. Anno 2, mense tertio, die 13 sui Pontificatus diem extremum obijt. Eius morte Papatus 11 diebꝰ vacauit.

STE-

STEPHANVS X. DICTVS IX. PONT. 156. Anno 1057.

STephanus nonus, Lotharingus, antea Fredericus vocatus, ex Abbate Montis Casinensis Pontifex creatus est. Mox procurauit vt Mediolanensis Ecclesia, quæ se ducentis annis à Romana substraxerat, cum eadem communionis vinculo reuinciretur, eidemque obedientiam præstaret. In Pontificatu septẽ mensibus, & octo diebus tantummodo vixit, ac Florentiæ mortuus, ibidem sepultus est. Hic vt quidam volunt, Hẽricum quartum tanquam hęreticum excommunicauit.

BENEDICTVS X.

HIc Benedictus 10, primò Minzius vocat⁹, & Episcopus Veliternus, nõ legitimè, sed procuratione quorundã nobiliũ, ad hunc statũ promotus est. Nam Sede vacante, cum Hildebrãdus Florentiam versus tenderet, Clerus eidẽ promiserat, nihil noui super electionẽ cuiusquã moliturũ. Proinde in Vrbem reuersus, ipse cum multis alijs, hanc Benedicti electionẽ, non æquo ferentes animo, eundẽ multis cõtentionibus amouerunt, ac Velitras relegauerũt, mẽse 9, die 20 suę perceptæ dignitatis: eius vero in locũ Gerardus Florẽtinus antistes, Hildebrãdo Cardinale vrgẽte, subrogatus est.

NICO-

NICOLAVS II. PONTIFEX 157. Anno 1059.

NIcolaus 2 Allobrox, ex Episcopo Florentino (vt dictum est) Pontifex Senis creatus est. Qui statim Sutrium profectus, cõcilium habuit, cui plures Episcopi, & Principes Italiæ interfuerunt. In eo Benedictum dignitati Pontificiæ, renunciare coegit. Postea Romam reuersus, secundum concilium apud Lateranum congregauit, vbi ordinauit, vt quicumque Pontificatum alio modo, quam concordi Cardinalium electione obtineret, pro excommunicato & apostata haberetur. In eodem etiam concilio, Berengarius Hereſiarcha argumentis, & rationibus

ab ipso Pontifice in mediũ allatis, victus & confutatus palinodiam cecinit, erroremque reuocauit. Hic Nicolaus cum iurgium, cum Roberto Guiscardo, propter certas terras, quas Ecclesiæ ademerat haberet, eius rogatu in Apuliam pertransiit, ac ijs recuperatis, eundem Apuliæ & Calabriæ Ducem creauit, Ecclesiæque vectigalem fecit. Eiusdem Roberti fretus auxilio, quosdam subditos Ecclesię rebelles perdomuit. Henricum quartum Imperatorẽ coronauit. Ecclesiã 4 annis, 7 mensibus, minus 4 diebus rexit, quibus elapsis, ad beatiorem vitã emigrauit. Sedes duodecim diebus vacauit.

ALEX-

ALEXANDER II. PONTIFEX 158. Anno 1061.

ALexander secundus Mediolanensis, primò Anselmus vocatus, ob singularem humanitatem & doctrinam, de Episcopo Lucensi Pontifex absens creatus est. Tunc Episcopi Cisalpini, ope Giberti Parmensis, ab Imperatore impetrarunt, vt alium possent eligere. Quare Cadulum Episcopum Parmensem, vnanimi conatu creauerunt, cui (vt refert Panuinius) Honorij 2 nomen impositum fuit: quem Cisalpini Principes omnes honore, quo Pontificem decet prosecuti sunt, excepta Matilde matrona sapiētissima, quæ Romanæ Sedi magis adherendum semper arbi-

trata est. Hic Antipapa,ab aduersarijs Alexandri Romam accitus, causa fuit cõflictus iniți in pratis Neronianis, in quo plurimi,ex vtraque parte mortem oppetierunt. Hic vero fugatus, cũ iterum per seditiosos reuocatus esset, cum validiore exercitu aduenit,ac Leoninam Vrbem,Ecclesiamque S.Petri occupauit: vnde à Romanis, vi eiectus est, in arcẽque cum difficultate receptus, effugiẽdi occasionem non videns, se summa pecuniæ redemit. Dum hæc agerentur, Otto Archiepiscopus Colonienſis ab Hẽrico missus,Romam venit: qui grauissimis verbis, Pontificem increpare non est veritus, quod Pontificatũ Imperatoris iniussu occupasset. Cui Hildebrandus adeo suis rationibus satisfecit, vt eum etiam opinionẽ mutare coegerit. Henricus culpæ sibi cõscius,Pontificem rogauit, vt concilium congregaret. Mantua ad id decernitur, vbi ipse Henricus comparens,errati veniam consecutus: Cadulo & Gilberto absolutionem impetrauit, hunc-que Rauennatem Episcopum, eligi fecit. Mantua rediens, Lucam pertransijt, ac ibi Ecclesiam solemniter consecrauit, multaque priuilegia ipsis concessit. Ad extremũ,vndecimo anno, mense sui Pontificatus sexto, mortuus est, & magno cum honore in S. Ioanne Lateranensi sepultus. Eodem tempore S.Ioannes Gualbertus Florentinus, auctor ordinis Vallis Vmbrosæ florebat.

GRE-

GREGORIVS VII. PONTIFEX 159. Anno 1073.

Hildebrandus natione Saonensis, communi optimorum consensu Pontifex creatus est, Gregoriique sibi nomen assumpsit. Inito Pontificatu, Imperatorem admonuit, ne pecunijs deinceps illectus, Ecclesiasticas dignitates conferret: sin secus faceret, se censuris contra eum processurum: ij tamen multis legationibus, vltro citroque missis, tandem in eandem opinionem coaluerunt. Verum cum Henricus Simoniace beneficia distribueret, nec ab incepto vllis admonitionibus deterreretur: Pontifex eos omnes excommunicauit, qui iniqua, via ab eo

quicquam impetrassent. Et ne quippiam inconsultò feciſſe videretur, Synodū in Laterano cōgregauit, vbi facti ſui rationē reddidit & in Imperatorem ſe eadem ſeueritate animaduerſurum niſi reſipiſceret reſpōdit. Dum hæc fierent, Gilbertus Rauennas Archiepiſcopus, ambitione & faſtu turgidus, viam ad Pōtificatum ſibi munire volens. Cinciū præfecti filium in Pontificē animat, nomine Imperatoris plurima ipſi promittens. Hic perſuaſus, Gregorium in ipſa vigilia Natiuitatis dum Miſſarum ſolemnia in S. Maria Maiore perageret, apprehēdit, captum turri munitiſsima in Parione recluſit. Eum populus Romanus quem ſibi ſuis beneficijs deuinxerat, liberat turrimquē ipſam & ipſius Cincij domum à fundamentis eruit. Iis rebus deſperatis in Germaniam diuerſis itineribus ad Imperatorē confugit. Gilbertus vero in Ciſalpinā reuerſus animo inquietus, Archiepiſcopi Mediolanenſis aliorumque plurimorum animos ſolicitat, ac in ſuam ſententiam pertrahit, quos vnanimi conſenſu in Pontificem inflammatos, coniurationis ſuæ comites & ſocios aſſumit; quibus Cardinalis tituli S. Clementis ſeſe adiunxit. Gregorius de nouo offenſus, coacta ad Lateranum Synodo, eos anathematizauit. Imperator vero perſuadētibus & inſtigantibus aſſentatoribus atque emulis præcipue Sigefredo Mogūtino Archiepiſcopo, Pontificem ſua dignitate priuare tentare auſus eſt, à quo merito excommunicationis fulmine ictus

ne ictus est reliquosque eiusdem sectatores eidē pœnę innodatos declarauit. Cum tādem de pace ineunda post multas controuersias cōsilia caperentur, ea conditione Henricus sese humiliaturum promisit, si Gregorius in Germaniam se trāsferret. Huius rei ergo cū se itineri accinxisset & Vercellas vsque peruenisset, Imperatorem sibi occurere cum magno exercitu per eiusdem loci Episcopum accepit. Hoc intellecto Pontifex Canossam se recepit, quē Imperator, eius se voluntati & obedientię cōmissurus supplex adit, & nudis pedibus veniā expetens obtinuit, paxq; hoc pacto solemni ritu firmata est. His ita perfectis, Henricus nouas tragœdias moliri non destitit, quod Rudolphum Saxoniæ Ducem suum in imperio competitorem excommunicare recusasset: atque id nouę Synodi cōgregandę causam & seminarium præbuit, in qua Archiepiscopus Rauennas Hugo Cardinalis, alijqui factiosi prælati excommunicationis censura notati sunt. Ad hæc Legati in Germaniā missi sunt, qui pacē inter Rudolphū & Henricum cōponerent. Idem ad Gilbertum Rauennatem Archiepiscopum factum est. His indignatus Henricus, Gilbertū Antipapam creat, in Italiam cum magnis copijs descendit: Vrbē ingressus, Basilicas SS. Petri & Pauli prophanat, Pontificem in arce obsidione premit, Antipapā coronari in Laterano procurat. His peractis, sese subducit, aduētum Roberti Guiscardi declinās, qui magnis tramitibus, Gregorio

gorio ſuppetias laturus aduentabat: à quo etiam poſt multas miſerias, liberam euadendi poteſtatem accepit. Ad extremum Salernum perductus, naturæ tributum ſoluit, poſtquã duodecim annis, vno menſe, & tribus diebus pontificatum rexiſſet: quo tempore, magnanimum Eccleſiæ protectorem, ſeſe exhibuit.

VICTOR

VICTOR III. PONTIFEX 160. Anno 1086.

GRegorius, Victorem ſucceſſorem habuit, qui nomen Deſiderij antea obtinuit, Beneuenti nobili proſapia natus, ex Abbate Montis Caſsini Cardinalis, & poſtmodũ Pontifex creatus. Et vt erat verus Fidei & Religionis aſſertor, ſtatim in Henrici indignationem incurrit, cuius procuratione, anno primo, & Pontificatus mẽſe quarto deceſsit, veneno (vt pro rato habetur) infectus. Eius tempore, maxima prodigia excitata ſunt, ita vt aues domeſticæ deſerta petierũt, & præcipua piſcium pars perierit, denique periculoſiſsimi

culosissimi terræ acciderunt. Corpus Sancti Nicolai à mercatoribus Barum translatum est. Eiusdem Pontificis iussu, Deodatus Canonum libros in ordinem redegit.

VRBA-

VRBANVS II. PONTIFEX 161. Anno 1088.

VRbanus 2, prius Ottonis nomen sortitus, postea Cardinalis, & 5 mẽsibus post Victoris obitũ, Pontifex electus est, ea dignitate ob raram doctrinã, & vitę sanctitatẽ dignissimꝰ. Bello inter Boemundũ & Rogeriũ fratres Normãnos propter Ducatũ Apulię grauiter inflãmato, vt inter eos pacẽ cõponeret, Põtifex Melphim se trãstulit, & inde Troiã vbi clerũ reformauit. Tumultuãtibꝰ iterũ Normãnis postquã Placẽtię Synodũ celebrasset, in qua Ecclesiasticorũ licẽtiã coercuit in Franciã venit, & apud Clarũ Mõtem aliud cõciliũ congregauit. In eo Principes Catholicos ad recu-

recuperandam terram Sanctam animauit. Hinc anno 1094. in Asia trecenta milia Christianorũ cruce insignitorum pertrãsierunt, quibus se plurimi Principes, socios adiunxerunt, inter quos celebratissimus ille Godfridus Bullonensis fuit. Hi oẽs Romã pertrãseuntes, benedictionẽ à Põtifice receperunt. In Asiã ingressi plures maximi momenti vrbes occuparunt. Interea temporis cum Vrbanus omnia Romæ turbulenta videret, clam apud Leonem ciuem potẽtissimum, se detinuit. Exinde egressus, Archiepiscopũ Mediolanensem in gratiam recepit, Pallium Toletano Præsuli Romam profecto, Pontifici obedientiam præstituro donauit. Regem Galatiæ cum Diocœsi S. Iacobi excommunicauit, eo quod illius loci Episcopum carceri inclusisset. Henrico Suessonum Episcopo, qui Episcopatum, quem à Rege Franciæ acceperat, ad manus Pontificis reposuerat, licet inuito restituit. In ædibus prædicti Leonis ad extremũ 4 Calendas Augusti obijt. Eius corpus in S. Petro sepultum est, postquam Pontifex 12 annis, 4 mẽsibus, & 19 diebus fuisset.

PAS-

PASCHALIS II. PONTIFEX 162. Anno 1099.

PAschalis secũdus, è Flaminia oriundus, antea Renerus vocatus, propter suas virtutes & insignem eruditionem, renitens cõmunibus omnium suffragijs Pontifex electus est, eo tempore quo Christiani Antiochiam ceperunt, & Hierosolymam recuperarunt, cuius Rex Godfridus proclamatus est. In Alba ciuitate se sustinebat Gilbertus Antipapa, qui subsidio & fauore Richardi Comitis Capuani elatus, Ecclesiam vexabat. Contra eum Paschalis, auxilio Rogeri Comitis Sicilienſis copias militares misit, qui fuga salutem quærere coactus, in montes sese recepit,

ac ibidem morte subitanea sublatus est. Gilberto mortuo, tres Antipapę eodem tempore creati sunt (tam iniqua erat eorum temporum conditio) in Auersa enim ciuitate Albertus per Richardum electus fuit, per Canenses Theodoricus, Maginulphus vero Romæ: qui omnes à proprijs ciuibus depositi & eiecti fuerunt. Rebus ad hunc modum in mitiorem & trąquiliorem statum redactis, Paschalis Beneuentum & Castellanam ciuitatem, ab hostibus occupatas recuperauit. Stephanum Corsum ciuem potentissimum, ex Vrbe eiecit. His peractis, Florentiam profectus est, ibidem celebrata Synodo, Episcopum leuitatis redarguit, quod Antichristū iā natū esse assereret: inde discedens in Cisalpinam pertransijt, vbi ad Guastardallum conuentum, plurima de homagijs, pheudis, alijsque magni ponderis negotijs tractauit. His finitis, in Gallias perexit, concilioque apud Trecas celebrato, Ecclesiasticorū mores correxit. Deinde in Italiā regressus seditiosis compressis, Apuliam versus itineri se accinxit. His omnibus fœliciter ad exitum deductis, Principes Christianos nunc per litteras, modo pro legationes ad recuperandam Palestinam hortatur & animat. Dum hæc fierent, Hēricus Imperator, cum exercitu in Italiam ingreditur, promisioneque facta, quod omnes pecunijs ad dignitates promotos, ab officijs amoturus esset, in Vrbem intromissus, Pontifici pedes exosculatur. Verū violata fide, cum Simoniarū

ſuarum confirmationem, impetrare non poſſet, Pontificem ipſum & omnes Cardinales captiuos in caſtra deduci iubet. Rogantibus tamen & vrgentibus, pluribus honeſtiſsimis ciuibus, ipſe Pōtifex petitionibus eius licet iniuſtis acquieuit. Henricus rebus ſuo genio cōuenienter compoſitis, in Germaniam redijt: Paſchalis vero in Laterano Concilio habito, omnia Imperatori conceſſa reuocauit, quod ea violentia adactus cōceſſiſſet. Eodem tempore Comitiſſa Matildis è viuis exceſsit, quæ Eccleſiam ſuorum bonorū magna ex parte hæredem fecit, inter cætera Vrbem Ferrarienſem dedit. Pontifex Vrbe excedere cōpulſus eſt, tumultuantibus ciuibus, quod gubernatoris filium adhuc puerulum in demortui patris locum ſufficere noluiſſet. Henricus interea Romam redit, ſeque Imperiali dignitate exutū ratus, ab Epiſcopo Braccarenſi de nouo, ante Beati Gregorij corpus, corona voluit inſigniri. Tandem Paſchalis regrediens, munita aliquot loca recuperat. Legatos Cōſtantinopolitani Imperatoris, munificētiſsimè excepit. Ad extremum his omnibus fęliciter peractis, 15 Calendas Februarij obijt. Eius corpus celebri pompa, in Laterano conditum eſt. Pontificatum 18 annis, 6 menſibus, & 7 diebus rexit. Plurimis ordinationibus 50 Præsbyteros, 30 Diaconos, & 100 Epiſcopos conſecrauit.

GELASIVS II. PONTIFEX 163. Anno 1118.



GElasius secundus, natione Caietanus, nobili loco natus, prius Ioannes vocatus, à teneris vnguiculis studijs addictus, doctissimus euasit. Hoc pacto instructus, monasticæ disciplinæ sese subiecit in Mõte Cassino sub Oderisio viro sanctissimo. Percrebescente deinde eius pietatis fama ab Vrbano 2 accitus, suarum virtutum specimen edidit euidentissimum: hinc sibi eum secretarium elegit, successu tandem temporis Cardinalitio honore adauctº. Mortuo Paschale, apud Palladium Põtifex proclamatus est. Quare Cincius qui alium huic dignitati suffectum petebat,

ira

ira percitus, in eum locum armata manu ingreditur, Pontifici manus inijcit, quem sicut & Cardinales, omnibus ignominiarum generibus afficit. Populus huius rei indignitate commotus, ad arma confluit, Pontificēque ex eorū manibus eripit. Terrore perculsi sacrilegi, Pontificis genibus aduoluti, veniam & absolutionem petierūt. Huius ex occasione, Gelasius albo equo insidens in Lateranum deductus est, ac ibidē coronatus. Henrico Imperatore verò in Italiam irrumpēte, vt eius furorē declinaret Caietā petijt, vbi Guilhelmus Apuliæ Dux, Robertus Capuæ Princeps, & Richardus Aquilanus, oēm suam operā & vires obtulerunt. Quod intelligēs Imperator, Archiepiscopū Braccarensem Antipapā creauit, nomen Gregorij imponens, eumque fidei & protectioni Fregipanum concredidit. Intelligens autem prædictos Principes contra se, cum magnis copijs aduētare, eorum potentiam veritus, ex Italia secesſit, omnia ferro flāmaque post se deformata relinquens. Gelasius Romam reuersus tantū impetū à Fregipanibus sustinuit, vt difficulter Normannorum & Corsarum auxilio, ex eorum manibus elabi potuerit. Proinde in Vrbe remanere tutum non arbitratus, Episcopo Portuensi ibidē Vicario relicto, Pisas cum Cardinalibus adnauigat, ac inde in Franciam traijciens, ad Montem S. Aegidij peruenit, vbi ab Abbate Cluniacensi, alijsq; qui ea de causa eodē cōuenerant, exceptus fuit. Ad extremū in monasterio Cluniacēsi mortuus est, Pontificatus sui anno secūdo, die vero 5.

CALIXTVS II. PONTIFEX 164. Anno 1119.



POstquam Gelasius obijsset, Cardinales qui Cluniaci præsentes aderant, Guidonem ei succesſorem, natione Burgundionem & regia stirpe oriundum, Archiepiscopum Viennensem delegerunt, qui nomen Calixti sibi assumpsit. Eius modestia singularis in eo maxime eluxit, quod Pontificiũ ornamentum nunquam recipere voluit, nisi prius etiam à Cardinalibus, qui Romæ & in Italia remanserant, cõfirmatus esset. Romam reuersus, cum incredibili lætitia exceptus fuit, rebusque confectis, Beneuentum perrexit, ibidem illius loci primarij proceres, iure

iurando

iurando obediẽtiam ei promiſerunt. In Vrbem cum iterum redijſſet, ad Imperatorem duos Legatos Cardinales deſtinauit, cum quo pax maximo omnium applauſu firmata eſt. Interim Rogerio Siciliæ Comite Apuliam propter abſentiam Guilhelmi Comitis inuadente, Pontifex qui Beneuentum in ſuam protectionem receperat, eodem profectus eſt: exinde Rogerium in Calabriam irrumpẽtem, fruſtra adhortatus, iam ad arma ſe parabat, quãdo ſubito morbo cũ magna Senatus parte correptus, ſeſe ſubducere coactꝰ fuit: vnde facilè nemine renitente Rogerius omnibus potitus eſt. Poſtea ſanitati reſtitutus Põtifex, in Laterano Concilium 900 Patrum coegit, vbi tandem concluſum eſt, vt ſuppleméta Chriſtianis in Syria laborãtibus mitterentur, quibus mirum in modum recreati ſunt. Cardinales 12 creauit, Eccleſias reparauit, mœnia Vrbis vetuſtate collapſa reſtaurauit, aquas introduxit, Eccleſijs munera auri & argenti donauit, pluribus poſſeſſionibus emptis, patrimoniũ Petri auxit. In Palatio Baſilicam S. Nicolai erexit. Cum verò Antipapa Gregorius, Sutrio vbi ſe cõtinebat, multas excurſiones faceret, per Pontificẽ ſuperatus, ac vinctus, in monaſterio Cauẽſi recluditur. Vbi verò Eccleſiam quinque annis, decem menſibus, & ſex diebus, laudabiliter rexiſſet, vitã terminauit. Vnde Sedes octo diebus vacauit.

HONORIVS II. PONTIFEX 165. Anno 1124.

Diuersæ fuerũt in Honorij electione hominum sententiæ, populo Cardinalem S. Stephani postulante, & Leone Fregipane, ciue potentissimo Honorium, Lambertum antea vocatum, & Episcopũ Ostiensem totis viribus promouente, tametsi arte quadam se populi postulationi suffragari simularet. Quod intelligentes quidam Cardinales, vt his conatibus obuiarent, Cardinalem Sancti Anastasij in Pontificem elegerunt. Quare Leo in medium sese proripiẽs, Lambertum alta voce præposuit: qui ab omnibus receptus est, pontificalibusque vestimentis ornatus,

ornatus, Honorij nomine insignitus fuit, ob singularem doctrinam, & laudatissimos mores ea dignitate dignissimus. Aliquot Cardinales raræ doctrinæ viros creauit, nam literaturæ & scientiarum amantissimus erat. Inter cætera ingeniũ Hildeberti Cenomanensis Episcopi, qui Turronensem Archiepiscopatũ postea obtinuit, mirificè & laudauit & amplexus est, quod Poeta Heroico, Elegiacoque carmine clarissimus haberetur. Hugo etiam de S. Victore Doctor Parisiensis celeberrimus, illi charissimus fuit. Quinque annis, 2 mensibus, statum Ecclesiæ rexit, quibus euolutis, locum alteri cessit. In Laterano sepultus, Sedem vacuam octo diebus reliquit.

INNOCENTIVS II. PONTIFEX 166. Anno 1130.

INnocentius 2, iuxta opinionem Panuinij Iohannis filius, ex familia Papareſiorũ, Pontificatu inito, arma in Rogerium Sicilię Regem mouit, qui Apuliam inſeſtis ſignis vexabat, quem in Gallucio obſedit. Verum Guilhelmus Rogerij filius, copioſo exercitu ſtipatus, ſuperueniens caſtra Pontificis diſsipauit. Eumque cum Cardinalibus captiuos fecit, quos paulo poſt humanitate vſus, liberos abire ſinit, quo beneficio deuinctus, Innocentius facilè ipſi omnia permiſit. Interea à pluribus factioſis hominibus, Antipapa Romæ, Petrus Leonis filius creatus, Anacleti ſibi

sibi nomen assumpsit: qui vt pecuniarum cumulum sibi coaceruaret, Ecclesias Romanas diripuit. Hac ratione aduersariorum animos pecunijs corruptos, in suam nassam facilè pellexit. Vt verò apud Rogeriũ gratiam iniret, eum improprio titulo & vocabulo, duarum Siciliarum Regẽ denominauit, & vice versa à Rogerio pro legitimo Pontifice, salutatus est. Innocentius Romam reuersus cum omnia susque decusq; turbata reperisset, in Franciam traiecit, & apud Clarum Montem concilio habito, Anacletum cum complicibus condemnauit. Aurelianum profectus, Regem Philippũ salutauit. In itinere verò quo Carnotum ibat, Henricum Angliæ Regem reperit, quem multis rationibus ad arma, contra Sarracenos capessenda animauit. Exinde in Lotharingiam reuersus, se à Germanorum Rege, auxilia habiturum fit certior. Concilijs tum Remis, tum Placẽtię celebratis, Romam versus tetẽdit. Pisis existens, cũ Genuẽsibus Pisanos amicitię fœdere reuinxit, ac ambas ciuitates Metropolitanas effecit. Lotharius premissorũ memor, Romã cũ exercitu veniẽs, Pontificẽ in pristinã dignitatẽ asseruit, & ab eodẽ coronã accepit. Ad hęc Synodo Pisis cõgregata, Antipapã denuo anathematisauit, qui diu abscõditus, quasi è latebris exiliẽs, Rogerij auxilio in Pontificẽ rursus seditionẽ cõmouet. verũ Lotharius hoc audito rumore in Italiã regressus, oẽs internecioni dat. Antipapa pro meritis, mortis pœnã exsoluit. Rogerius principatu

spoliatus,

spoliatus, ex continenti in Siciliam pertransijt. Pontifex vero ducatu Apuliæ, vnum ex Baronibus Lotharij nomine Rainonem donauit. Ad extremum, cum in Laterano Synodum cogere instituisset, incidit in morbum, ex quo mortem obijt. Pontificatum 14. annis, 7 menses, & octo dies postquam gessisset.

CELE-

CELESTINVS II. PONTIFEX 167. Anno 1143.

TVmultibus prædictis durãtibus, vt ait Pãuinius, Romæ noua rempub. administrandi ratio introducta est, secundum eam formam, quæ olim apud veteres obseruabatur. Vnde Innocentius omnem authoritatem, quam in ciues habebat amisit. Hac ratione populus excommunicatus, ius eligendi Pontificem deperdidit, quo & ipse Clerus priuatus est, donec ea potestas penes solos Cardinales, reseruata est. Celestinus vero secundus, natione Tuscus, Innocentij successor, absque populi suffragijs electus est, prius

Guido

Guido vocatus, ex castro fælicitatis Sancti Marci Cardinalis. Verum quinque solum mensibus superuixit. In Laterano sepulturæ traditus fuit.

LVCI-

LVCIVS II. PONTIFEX 168. Anno 1144.

LVcius secundus, Bononiensis, ad eam dignitatem sublimatus, Christianis Sancti Bernardi persuasionibus animatis, & iam cruce signatis, in Orientemque proficisci parantibus, nihil ad hanc expeditionem perficiendam prætermisit. Insuper in Francia Synodum aliquot Episcoporum & Abbatum coegit, contra quendam Abailardum Philosophum Peripateticum, quibusdam opinionibus à fide alienis adherentem. Qui veritatis rationibus pressus, errorem suum in præsentia Ludouici Regis confessus est, proinde

proinde pœnitentia ductus, cum aliquot discipulis in desertum secedens, monachi vitam egit. Lucius vndecimo Pōtificatus sui mēse mortuus, in Laterano sepultus est.

EVGE-

EVGENIVS III. PONTIFEX 169. Anno 1145.

EVgenius 3, Pisanus, ex monacho Cisterciēsi & Abbate S. Anastasij, ad Pontificatum peruenit. Nam Cardinalibus inter se discordātibus, cum in neminē eorū vota cōuenire possent, Spiritus Sācti instinctu electus est. Romanis instātibus & minis etiā vrgentibus, vt sui Senatores cōfirmarentur, clam noctu, quibusdam Cardinalibus comitātibus ex Vrbe secessit, & ad Sabinos in Arsense monasteriū se recepit, vbi consecratus fuit. Vnde Senatores compulit, officio se abdicare & postulare pacem. Romæ verò existens, cum non adeo Romanis quippe cōtra se irritatis

fideret, Tibur sese contulit, quem ipsi armis insecuti sunt. In Franciam profectus Regi expeditionem in Barbaros persuasit. Ad hæc Romam reuersus, beneuolētia singulari vt merebatur exceptus est; Terracina, Seria, Norbano, Eumonis arce recuperatis, quæ diu in tyrannorum potestate remanserant, Tandem Tybure octauo sui Pōtificatus anno, mense 4, & die 20 mortuus est, Romam delatus in S. Petro sepultus est. S. Mariæ Maioris porticum reparauit.

ANA-

ANASTASIVS IIII. PONTIFEX 170. Anno 1153.

ANastasius, ex Abbate Sancti Rufi Velitris, ad supremum Ecclesiæ gradum peruenit. Ecclesiæ Lateranensi calicem magni ponderis obtulit, palatium apud Sãctam Mariam Rotundam ædificauit. Eodem tempore grauissima fames inualuit, quæ vniuersam pene Romam afflixit, pauperibus omni studio & diligentia, tam publice quam priuatim subuenit. Eius Pontificatus non vltra annum, quatuor menses, & viginti tres dies se extendit. His expletis, ex hoc mundo migrauit, & in Laterano sepultus. Tunc

temporis inter cæteros, Richardus à S. Victore, Gratianus, Petrus Lombardus, Petrus Comestor omni scientiarum genere valebant.

ADRI-

ADRIANVS IIII. PONTIFEX 171. Anno 1154.

ADrianus 4, natione Anglus, Noruegiá prædicandi Euangelij causa missus, adeo se solerter habuit, vt omnem populum ad fidem cõuerterit. Quare ab Eugenio Episcopus Albanus creatus est, paulo post Cardinalis, ac tandem Eugenio mortuo, ad Pontificatum peruenit. Romanis grauiter instantibus, vt eorum Senatores Remp. administrarent, absolute eorum petitioni refragatus est. Populum Romanum excommunicauit, quod sanctæ Prudẽtianę Cardinalem læsisset: quem nunquã absoluere voluit, nisi quidam Arnoldus hæreticus ex Vrbe pelleretur, &

Senatores à suo instituto resilirēt. Guilhelmum Sicilię Regem, qui aliquas Ecclesiæ terras occupauerat, anathematis vinculo innodauit. Intellecto Imperatorem Federicum multis stipatū copijs in Italiam intrasse, eidem obuiam processit, & Sutrum vsque profectus, cum eòdem conuenissent, ipse Imperator ex equo descendens, eum debito honore prosecutus est: qui vna Romam abeuntes coronam Imperialem recepit. Tiburtini autem cum se suamque vrbē Imperatori dedidissent, eam nulla interiecta mora, quia Ecclesiæ esse patrimonium intelligebat, Pontifici restituit, ac tum in Germaniā reuersus est. Exinde Beneuētum, à Primoribus regni vocatus sese contulit, & potissimam partem è manibus Guilhelmi recuperauit. Eòdem Legati Imperatoris Grecorum superuenerunt, qui eiusdem nomine quinquaginta milia librarum auri Pontifici obtulerūt, Guilhelmūque ex Italia se abacturū suis stipēdijs promiserūt, si tres in Apulia vrbes mari timę, rebus iam omnibus confectis darentur. Eo nuncio Guilhelmus percitus cum Pōtifice amicitiam componere per sequestros tentauit: omnia quæ occupauerat & multo plura redditurum promittens, dummodo tamen titulo regni vtriusque Siciliæ insigniretur. In eam autē petitionem Pontifex renitentibus & dissuadentibus, quibusdam Cardinalibus, non descendit. Proinde Guilhelmus cū valido exercitu in Apuliam ingrediens, eam omnē sibi perdomuit. Hoc pacto in

cto in Cardinales Adrianus indignatus, omnia vt petierat, ex sententia Guilhelmo permisit, titulosque prædictos attribuit. His ita compositis Adrianus Griuetum concessit, quod Romanorũ Pótificum primus sua habitatione nobilius reddidit. Romam reuersus, cum à ciuibus inquietaretur Anagniam redijt, vbi breui temporis interuallo mortem obijt, postquam in eo officio 4 annis & decem mensibus laudabiliter se gessisset. Eius corpus ad Vrbem delatum, proxime sepulchrum Eugenij conditum est.

ALEXANDER III. PONTIFEX 172. Anno 1159.

GRauissimum schisma in electione Alexandri tertij, Senensis ortum est. Nam 23 Cardinalium suffragijs Pontifex electus, tres qui supererãt, Cardinalem tituli S. Clemẽtis nominarunt, Victorem vocantes. Huius rei Alexander, (ne malum latius aut virulentius serperet) Imperatorem qui tunc Cremonam obsidione premebat, comonefecit. Is ambos Papiam venire iussit, vbi de eorum disidijs se compositurum asseruit. Cui ordinationi cum Alexander parere nollet, indignatus Fredericus, in partes Victoris factus est, inclinatior. Alexander tali accepto responso,

ponſo in Franciam abijt, vbi Concilio in Claromonte habito, Fredericum & Victorem excommunicauit. Fredericus verò Mediolano deleto, magniſque Italiæ damnis illatis, Franciæ Regem petit, vt ad Conciliũ per ſe indictum venire dignaretur, ſecũque Alexandrũ adduceret. Quod renuens Alexander Fredericum magis ac magis ira inflammatum in ſe cómouit. Proinde Victorẽ in Italiam mox ſubſecuturus præmittit, qui Lucę mortuus, Guidonem Cremenſem Antipapam ſucceſſorem habuit. Alexander omniũ cõſenſu Romam reuocatus, ab omnibus ſumma cum lætitia recipitur. Eodem tempore Ciſalpinæ Galliæ populi, in Imperatorem arma corripiunt: qui proinde in Italiam denuo reuertitur. Dũ hęc agerentur, Cõſtantinopolitanus Imperator, omnem opem & auxilia per legatos mittit. Cum verò Pontifex apud Tuſculanos cómoraretur, Angliæ Regis Legatos admiſit, qui Regẽ ſuum à cede S. Thome Cantuarienſis Archiepiſcopi immunem declarabant. Eius rei decidendæ cauſa, duo Cardinales miſsi ſunt, & ad extremum his conditionibus conuentum eſt, vt Rex à Pontifice & ſucceſſoribus eius, titulum regni agnoſceret. Ob euidẽtiſsima verò miracula, quę meritis D. Thomæ acciderunt, in numerũ Sanctorum relatus eſt, per Alexandrum pontificem maximum. Qui cum in dies grauius ab Imperatore vexaretur, & inquietaretur, Venetias ſe cõtulit, vbi ipſe Imperator humiliatus, cũ Pontifi-

ce in gratiam redijt. Ampliſsimis dictæ ciuitati conceſsis priuilegijs Romam repetijt, Cõcilioque in Laterano habito Clerũ reformauit. Sub pœna excommunicationis vetuit, ne quiſpiam ferrum, ligna, aut arma ad infideles transferret. Panuinius adijcit eius inſtitutum eſſe, vt in electione Põtificis duæ tertiæ partes Cardinalium inter ſe conuenirent. His tot exantlatis laboribus, anno vigeſimo primo, & die decimonono, ſui Pontificatus, ex hoc mundo migrauit.

LV-

LVCIVS III. PONTIFEX 173. Anno 1181.

EX nobili prosapia Lucensi Allucingula vulgo dicta, vt refert Pannuinius, fuit Lucius 3. Pontificatus sui principio, ad tranquillitatem Christianam fouendam totum se impendit. Cú vero nomẽ, & authoritatẽ Senatorum, ex Vrbe eliminare velle, quorundá ciuiú instigatione, & persuasionib⁹ diceretur; Roma pulsus est, & ciuibus eũ ad id adigẽtibus oculi eruti sunt. Veronæ, quo ipse cõfugit, Conciliũ habuit, in quo plurib⁹ cõtra Romanorũ insolentiã cõquestus est, Principesq; Christianos cõmonuit, vt se ad opẽ fideli b⁹ ferendã cõparareut, qui in Asia cõtra Barbaros præ-

præliabantur. Verum cum eam expeditionẽ remis velisque accelerari procuraret, morbo correptus, Veronæ diem clausit extremum, & in Cathedrali Ecclesia sepulturã sortitus est, postquam Ecclesię curam, 4 annis, 2 mensibus habuisset. Lucam ciuitatem vnde oriundus erat, pluribus muneribus exornauit. Ab Imperatore Frederico, quem habuit familiarem & amicum, obtinuit, vt in tota Etruria alia moneta, locum & vsum non haberet, quam Lucensis, quemadmodum Longobardi aliam non recipiebant, nisi Papiensem. Eo tempore Abbas Ioachimus floruit.

VRBA-

VRBANVS III. PONTIFEX 174. Anno 1185.

VRbanus tertius, natione Mediolanensis, è genere Criuellorum Pōtifex factus, omne suum studium ad reconciliandos Christianorū animos, qui in Syria bellis impliciti erant, conuertit. Verum cum in eiusmodi procurationibus operam luderet, & Christiani Principes odijs & dissentionibus intricarentur; Saladinus pluribus locis potitus, etiam Hierosolimam suo imperio adiecit, 88 anno postquam à Godfrido recuperata fuerat. Ad hæc aduersariorum copias versus Antiochiam directas esse, Vrbanus intelligens, Venetias Christianis suppetias & supplementa comparaturus se contulit: vbi quantam cladem

cladem Christiani accepissent cũ intellexisset, dolore percitus in morbũ incidit, ex quo Ferrariæ anno primo, mense 10. die Pontificatus sui 25, mortuus est.

GRE-

GREGORIVS VIII. PONTIFEX 175. Anno 1187.

GRegorius 8, Beneuentanus, communi omnium consensu electus, inito Pontificatu Christianos principes legationibus, literisq; sollicitauit, vt exercitu terra marique comparato, ad recuperandam Hierosolymam sese colligerent. Vt verò facilius id quod suadebat cõsequeretur, Pisas se contulit, vt eius loci populos cum Genuensibus fœderis noui vinculo religaret, ac sic coniunctis copijs, quibus plurimum mari valebant, ad hãc expeditionem sanctissimam animarentur. Verũ morte interueniente, eius sanctæ expeditioni, & voluntati Pisis finis impositus est, Pontificatus sui, die 57.

CLE-

CLEMENS III. PONTIFEX 176. Anno 1188.

CLemens huius nominis 3 Romanus, Pontifex factus, cogitationem omnem ad recuperandam terram sanctam conuertit, cum præsertim Saladinus omnem Antiochiæ principatū occupasset. Christiani Principes eius pijs conatibus assentientes, arma corripuerunt, ac nominatim ipse Imperator, Frāciæ atque Angliæ Reges, Burgundiæ Dux, cum Venetis Pisani, alijque quam plurimi. Eo tempore Guilhelmus Siciliæ Rex, sine heredibus morte sublatus est, ac proinde regnum Ecclesiæ competebat. Sed cum Sicilienses sibi Tancredum nothum & illegitimum

mum delegissent, Pontifex eo exercitum transmisit. Exinde ad reformationem Ecclesiasticã conuersus Monasterium S. Laurentij, extra mœnia exędificauit, Palatium Lateranẽse reparauit. His paulo post confectis, anno tertio mẽse Pontificatus quinto obijt, ac in Laterano sepultus est. Hic (vt refert Panuinius) populo Romano authoritatẽ permisit ex antiqua consuetudine eligendi Senatores, ea tamen conditione vt summoto Patricio, qui alijs præerat alius gubernator decerneretur.

CAELESTINVS III. PONTIFEX 177. Anno 1191.

CAeleſtinus tertius Romanus, ſui Pontificatus principio, eò omnem operam ſuam cõtulit, vt Tancredum regno Siciliæ exueret. Ob eam cauſam, Conſtantiam quę ſola ex ſtirpe Regia Normanorum ſuperrerat, è monaſterio extraxit, eamque Henrico 6 Imperatori in matrimonium dedit: ei Siciliæ & Neapoleos regna, pro dote tribuens: ea conditione ſolum vt quotannis debitum Eccleſiæ rependeret. Henricus hac beneuolẽtia affectus, Tuſculum Eccleſiæ reſtituit, quod à Romanis acceptum ſolo adæquatum eſt. Dum hæc ita tranſigerentur, diſſidium inter

inter Venetos & Pisanos exortum, per Pontificē sopitum est. Saladini vero mors consecuta, Cælestino Hierosolymæ recuperandæ spem maximam iniecit: & ad eam rem perficiendā Imperator inductus, eòdem Archiepiscopum Mogūtinum, & Ducem Saxoniæ cū exercitu misit: ad cuius complementum & res necessarias, Cęlestinus nihil omisit. Prope SS. Petrum & Ioannem, ædificia Pontificibus cōmodo & vsui futura extruxit. Portas S. Ioannis versus sancta sanctorum ex ære confici iussit. Pontificatum sex annos, 7 menses, & 11 dies administrauit, quibus finitis multis flebilis occidit, & in S. Petro sepultus est.

INNOCENTIVS III. PONTIFEX 178. Anno 1198.

INnocẽtius 3, patria Anagninus patre Trasimũdo, ex illustri Comitum familia natus, à Celestino, propter raram doctrinam, & morum candorem Cardinalis creatus, eidẽ in administranda S. Petri nauicula succesit. Qui eodem zelo quo prędeceſſores pro recuperanda Terra ſancta agitatus, ad id inflãmauit Bonifacium Marchionem Montis ferrati, Balduinum Flandriæ, Henricum S. Pauli, & Ludouicum Sabaudiæ Comites: qui còdem cum valido exercitu vnanimiter traiecerunt. Eodẽ tempore apud Toloſam hæreſis exorta eſt quæ S. Dominici diligentia mox reſtin-

restincta est. Otto 5. ab Alemanis Imperator electus subsequēti anno ab Innocentio Romę coronatus est: qui non diu post, quod aliquas possessiones Ecclesiæ ademisset, ab eodem excōmunicationis vinculo illigatus est. Fredericus vero secundus, Siciliæ Rex, ab Electoribus Imperator decretus, Romam vt coronaretur aduenit: quod consequi nequiuit cum iam Otto ablata restituisset. Deinde in Laterano maximum concilium, Innocentius congregauit, in quo 70 Archiepiscopi 412. Episcopi & 800. Abbates & Priores comparuerunt. Ad hæc omnium pene principū Christianorū Legati, Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolimitanus, eòdem superuenerunt. Verum propter nauale prælium quod inter Pisanos & Genuenses exarserat, nihil concludi potuit. Innocētius verò pio zelo commotus, itineri ad eos componendos se accinxit, in quo mortuus est, postquam 18 annis, 7. mensibus, & 16 diebus dignitatem Pontificiam obtinuisset. Plurima opera composuit, inter cætera de Eucharistia, Baptismo, de humanæ vitæ miserijs: his plures sermones adiecit. Ioachimi Abbatis libellum reiecit. Albericum hęreticum improbauit, qui postea Parisijs exustus est. Xenodochium sancti Spiritus in fauorem pupillorū, peregrinorum, & ægrorum erexit. Ecclesiam S. Sixti reparauit, Pōtificatum eius ex se celebrem, duo luminaria SS. Dominicus & Franciscus illustriorem reddiderunt.

HONORIVS III. PONTIFEX 179. Anno 1216.



COmuni omnium cõsensu Honorius 3 Romanus, Pontifex nominatus est. Ab eo Petrus Imperator Constãtinopolitanus cum vxore Romam appulsus, in Basilica S. Laurentij coronatus est. Exercitu per Innocẽtium comparato, Cardinalis Columna in Asiã Legatus profectus est multi quoque potentes principes, Honorij admonitionibus inflammati, inter quos Hõgariæ Rex & Comes Niuernensis erant; his copijs suas coniuncturi, Aconem deuenerunt. Eodem tempore instituta ordinum SS. Dominici, & Francisci per Honorium confirmata sunt. Federicum

ricum Secundum excommunicauit, qui in Italiã ingressus, pacem & trãquilitatem Ecclesiæ perturbabat. Ioannem Hierosolimitanum Regẽ ad Vrbem delatum, honorificẽtissime excepit. Ecclesias S. Laurentij extra muros, Sancta Sanctorum & S. Bibianę restrurauit. Epistolas Decretales scripsit. Deinde postquam 10 annis 7 mẽsibus & 13 diebus Ecclesiam rexisset mortuus, in Ecclesia S. Mariæ Maioris sepultus est. Eius mortẽ magni terræ motus subsecuti sunt, ac tales quidẽ vt in montibus Saluijs ad 50 milia hominũ perierunt.

GREGORIVS IX. PONTIFEX 180. Anno 1227.

GRegorius 9, patria Anagninus, ex nobili Comitum familia, & Innocentij 3 nepos, ad Pontificatum euectus, Frederico vt in Terrá Sanctam expeditionem faceret iniunxit. Qui vt Pontifici se parere velle simularet, Brundusium vsque traiecit, vbi morbum mentitus, iter bis reflexit. Proinde ab ipso Põtifice anthemate percussus, in Cyprum redijt, duobus belli ducibus, qui statum Ecclesiæ diuexabant relictis. Gregorius Assisium profectus, vbi famam quæ de S. Francisco diffundebatur cum miraculis confirmatam perspexisset, eum in sanctorũ numerum retulit

retulit. Exinde cum copijs Ioannem Hierosolimitanum Regem, & Cardinalem Columnã expeditos, vnum in Vmbriã, alterum in Picenos agros transmisit, vnde milites omnia rapinis populantes abegerunt. Fredericus in Italiam veniens, apud Pontificem multis precibus absolutionem obtinuit: hac tamen conditione interposita, vt pro damnis, rebus Italiæ sua culpa illatis, viginti & centum milia vnciarũ auri penderet. Eodem tempore Pontifex Brundusiũ perrexit, vt illud contra Bannitos firmaret. Hannibal interea Romæ cum alijs quibusdam reip. perturbatoribus populum Romanum ad defectionẽ sollicitauit. Verum diuini numinis vltrix dextera consecuta est; qua pene tota hominũ multitudo peste extincta perijt. Gregorius Romam reuersus, populo culpam remisit. Hanibalẽ vero Senatoria dignitate spoliauit, Vrbemque purgari procurauit. Roma digressus, loci & aeris mutationem quæsiturus, Reate se contulit, vbi S. Dominicum in diuorum numero collocatum, declarauit. Idẽ Spoleti S. Anthonio de Padua præstitit. Saldani Legatos per quos pacẽ postulabat, noluit admittere, Religiososq; SS. Dominici & Franciſci institutum professos, per totam Europam immisit, qui Christianos ad bellum Sarracenis inferendum adhortarentur. Qui breui tẽpore tantum profecerũt, vt innumeri sub signis principum inscripti, Constantinopolim peruenerint. Elizabetha, Hungari Regis filia à Ponti-

fice canonizata est. Federicũ denuo Gregorius propter insolentiam excommunicauit. Venetos & Genuenses inter se reconciliauit. His ita decurrẽtibus, periculosissima cõtentio inter Guelphos & Gibelinos exorta Federici procuratione, multas vrbes cõtra Pontificem excitauit. Tumultuãtibus Romanis, per Vrbẽ Gregorius perambulans, capitaque SS. Petri & Pauli circumferens, eos pulcherrima oratione non modo conpescuit; verum etiam ad arma contra Federicũ, qui iam iam muris instabat, capessenda inflammauit. Fratrẽ Regis Tunetensis baptizari paratum, ipse Federicus deterruit. Concilium apud Lateranum congregauit, quod Federicus impedire volens oẽs vias obstruxit, multosque Cardinales ac Prælatos apprehẽdit. Inde Gregorius grauiter offensus, paulò post obijt, postquam sedem 14 annis, tribus mensibus obtinuisset. Paucis ante diebus eclipsis solis sese exhibuit. Iisdem temporibus liber Decretaliũ auxilio Raymũdi Barchionẽsis, operaque Gregorij collectus fuit.

CAE-

CAELESTINVS IIII. PONTIFEX 181. Anno 1241.

CAeleſtinus 4, Medionalenſis è familia Caſtilionũ, & Epiſcopus Sabinus, propter vitæ integritatem & raram eruditionem, ad Pontificatum peruenit. Verum ſenectute & ægritudine confectus, non diutius 18 diebus in officio & vita permanſit. Cardinalibus vero aliquot per Federicum in captiuitate detentis. Sedes vno & viginti menſibus vacauit. Nam in eorum abſentia ad noui Põtificis electionem procedere, nec tutum nec conueniens videbatur. Balduinus tãdem Imperator Conſtãtinopolitanus in Italiam ſuperueniens, nullum non mouit lapidem, vt è Fede-

Federici manibus, qui tunc Parmæ degebat, captiuos liberaret. Hac occasione oblata omnes Anagniæ congregati nouum successorem delegerunt.

INNOCENTIVS IIII. PONTIFEX 182. Anno 1243.

CArdinalibus Anagniæ (vt iam dictum est) congregatis Sinibaldum Genuensem familia Flisca à Lauaniæ Comitibus, Pontificem delegerunt, quem Innocentium 4. vocitarũt. Ea porro electio Federico nõ admodum grata fuit, eo quod generosi & honesti animi virum esse sciebat; vnde timebat ne ex Cardinale amico, Pontificem hostem experiretur. Volens tamen Pontifex antiquam amicitiã cum Federico cõfirmare, vrbem Castellanam petebat, quo in itinere cum sibi insidias tẽdi per exploratores cõpertum haberet, Genuensium nauibus impositus,

tus, fœlici nauigio vſus, in Franciam delatus eſt. Eodem deueniens Cōcilium anno 1246. habuit, quo Federicum citatum vocauit, venireque detrectantem, Imperio & Regno ſimul ſpoliauit. Vnde Federicus excandeſcens, multa ædificia amicorum parentumque Pontificis Parmæ exiſtentia deiici, & funditus erui curauit. Eò profectus Legatus Apoſtolicus Federicū deuicit omnesque eius copias fudit. Pontifex vero intellecto Federicum iſtiuſmodi calamitatibus nihilo factum meliorem, ſed magis atque magis peſſum ire; Concilium dimiſit, ac deinceps ad reintegrandam ſanctam militiam omnem cogitationem conuertit. Hinc populum ad ſequenda Ludouici Franciæ Regis vexilla, qui in Africam traijcere decreuerat, omnibus modis adhortabatur. Poſtquam Edimundum Canturienſem Archiepiſcopum in ſanctorum numerū retuliſſet, in Italiam reuerſus eſt. Peruſiam ingreſſus, Petrū Martyrem, inter ſanctos habendum declarauit. Idem de Staniſlao, Cracouienſi Epiſcopo iudicium tulit. A nobilibus Neapolitanis aduocatus comparere ſtatuit. Verū in ea expeditione mortem ſubijt vbi Pontifex 11 annis, ſex mēſibus & 12 diebus fuiſſet. Sepulturam vero nō in S. Laurentio, vt habet Platina, ſed in Eccleſia Cathedrali ſortitus eſt, vt adhuc hodie videre licet. Innocentius in Concilio Lugduni habito plures Cardinales creauit, primuſque fuit qui Cardinalitiam dignitatem rubeo pileo adauxit; Multa volu-

volumina in tanta rerum difficultate cõposuit. Inter cætera Apparatus decretalium compilauit, Autentica & Apologetica edidit, Proinde viros literatos amabat & colebat. Cardinalem Hugonem instituti Dominicani vnicè dilexit, qui Glossas & Concordantias in Biblia composuit. Huius instinctu plurimi ac doctissimi homines ad scribẽdum sese applicuerunt, Inter eos Alexander de Ales, Bernardus Parmensis & Composstellanus. Eius etiam institutum fuit vt Natiuitas B. Mariæ cum octaua celebraretur.

ALEX-

ALEXANDER IIII. PONTIFEX 183. Anno 1254.

INnocẽtio quarto, Alexander quartus Anagninus è familia Comitum succeſsit (ex Panuinij placito) Innocentij tertij & Gregorij noni, à quo Cardinalis creatus eſt, propinquus. Ex Epicopo Oſtienſi & Veliterno ad eam dignitatem prouectus, Manfredum qui ſibi titulum regni Neapolitani vſurpauerat anathematizauit. Ad Venetos Philippum Fontaneſium Rauennatem Archiepiſcopum miſit, qui cõtra Eccelinum tyrannum prædicaret. Poſt aliquot tandẽ obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi eſſe cœperunt: quas tamen ad exitum

exitum deducere non potuit, propter dissensionem inter Venetos & Genuēses exortam, vnde grauissimum bellum secutū est. Alexander igitur tanto malo occurrere, ac mederi ex paterna cōmiseratione desiderans. Vbi S. Claram ordinis S. Francisci inter Diuos retulisset, omnē operam ad componendam pacē inter eos adhibuit. Verum tam grauibus implicatus curis, obijt Pōtificatus sui anno 7. Corpus eius ad Ecclesiam S. Laurentij delatum est. Erga pauperes adeò propensus fuit, vt libros aliquos contra eos descriptos improbauerit. Epistolas Decretales scripsit. Viros doctos maximo fauore prosecutus, semper magnifecit: inter cæteros Henricū à se Cardinalem Ostiensem factum. Egregia aliquot ædificia extruxit. Et vt multa paucis dicam suauem post obitum sui memoriam reliquit. Sedes morte eius tribus mēsibus & quatuor diebus vacauit.

VRBANVS IIII. PONTIFEX 184. Anno 1261.

VRbanus quartus, Trecis in Gallia oriundus Patriarcha Hierosolimitanus, Viterbij vbi tunc curia Romana erat, absens Pontifex creatus est. Oruietum deinde, quò securior à maleuolorum insidijs esset, se recepit (Ecclesia enim eo tempore, maximè per Regem Manfredum dilaniabatur) Cum autem nulla ratione à Manfredi potentia, & tyrannide sese Sedes Apostolica tueri posset; in extrema rerũ calamitate ad extremum deliberatũ est, vt auxiliares copiæ, quæ vt in Asiam traijcerentur delectæ erant, è Gallijs aduocarentur: quæ accepta à Pontifice benedi-

ctione,

ctione, omnem Manfredi exercitum ex Sarracenis conflatum, deleuerũt. Eo tempore Romani debitam obedientiam Pontifici nullam præstabant, verũ Magistratũ suo genio & voluptati deseruientem, pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptũ Vrbanus ex eo procedere vidẽs, quod omnem suam authoritatem à Manfredi iniquitate, & iniurijs depressam & obscuratam viderent: Concilio Oruieti habito conclusum est, vt Carolus Andegauiæ Comes, Franciæ Regis frater, in Italiam cum titulo Regni Neapolitani aduocaretur. Vnde ad eam legationem perficiendam Cardinalis missus est. Nihil tamen eius rei, nisi subsequentis Põtificis tempore executionem suam sortitum est. Hoc vnũ post hominum memoriam celeberrimum, ad posteros trãsmisit, quod suo tempore Augustissimi ac simul Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi celebritatem instituerit, sanctissimis cuiusdam Virginis in Sancto Martino Leodij reclusæ, nomine Euæ consilijs ad id maximè inductus. Quæ cum noctes atque dies, ab oratione & meditationibus nõ recederet, alijsque pijs exercitijs vacaret; id fouit & ad salubrem exitum deduxit quod per Iuliaã virginem religiosissimam in Mõte Cornelij iuxta Leodium, à secessu hominum remotam, ac proinde multis visionibus & reuelationibus illustratam, inchoatum fuerat. Nõ latet nos, Onuphriũ Panuinium hominem apprimè doctum, & in historijs longè

versatum, nec non antiquitatum indagatorem diligentißimum, id quod modò diximus nauci pendere, & tanquam apocriphum & fabulosum reijcere: verũ sine causa, & absque vllo fundamento. Nam vt taceam publicas, ac vulgatas diocæsis Leodiẽsis bibliothecas, Archiuium Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Leodiensis (vbi prædicta virgo à conuentu communi vulgarium semota, sese cõtinebat) antiquas & quæ adhuc hodie visuntur picturas, Vitã ipsius S. Iulianæ, eiusq; sepulchrũ, testimonia sanè inuincibilia, & famæ cõstantißimæ: quid ad Bullã huius institutionis, ab ipso Vrbano Euæ virgini missam responderet quæ ſic habet? *Clement. lib. 3. tit. 16.* Scimus ô filia quod magno desiderio desiderauit anima tua, vt solenne festũ Sacratißimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, in Ecclesia Dei à fidelibus, perpetuis futuris temporibus celebrãdum institueretur. Vnde sciebat Põtifex Vrbanus huius virginis voluntatem, nisi ex ijs quæ Leodij præsens, ex ea audierat? Proinde multis interiectis, adijcit. Magnificet ergo anima tua dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari, quia viderunt oculi tui salutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper quod omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorũ tuorum nó fraudauit cæleſtis gratiæ plenitudo. Addunt & non parum momenti verba quæ institutionem istam subsequũtur. Intelleximus olim

duu

dum adhuc in minori essemus officio cõstituti, quibusdam Catholicis diuinitus reuelatũ fuisse, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum. Intellexit Vrbanus qui Leodij Archidiaconatu functus est: vt testatur Molan⁹ in Natalibus Sanctorum Belgij, die Aprilis quinta, & decima septima Septembris. Reuelatum autem non mundi sapiẽtibus, sed Iulianæ primum, quæ inter orandum sibi vidit ingeri mirabile signũ, Lunam videlicet quasi in suo splendore, cũ aliquantula sui corporis orbicularis fractione. Quæ cum ignoraret quid portenderet, nec vllis precibus, eam cogitationem à se propellere posset, diuino responso didicit, in Luna Ecclesiam significari, & in eius fractione, solennitatis vnius defectum, quã volebat Deus in sua Ecclesia obseruari, ad fidei & deuotionis augmentum. Insuper præceptum diuinitus accepit; vt eam solennitatem inchoaret, celebrandamque nunciaret. De his hoc loco satis, fusius in beatę Iulianę vita, quæ mox in lucem prodibit descripta videbuntur. Et Molanus loco iam citato, die quinta Aprilis abundantius prosecutus est. Porro tantæ celebritatis Sanctissimi Corporis Christi officium, quanquam ijsdem temporibus, cura Iulianæ editum esset, ac magnorum Theologorum calculo approbatum; D. tamen Thomas ab Aquino, ad id perfectius præstandum, authoritate Apostolica delectus fuit: in quo, vt in cęteris suo munere

adeo affabrè functus est; vt diuina censura opus ab eo de ea re compositum, approbare meruerit. Nam cum ante Crucifixum prouolutus, intētiùs oraret, vocem nemine comparente audiuit. *Bene scripsisti de me Thoma.* Et in eo profectò, ampliorem laudis cumulum iure sibi vendicare posset, quàm vt hic angustè & ieiunè memoretur. Vt vero ad Vrbanum redeamus, postquam vrbem Oruietum præclaris ædificijs, tam priuatis quam publicis exornasset, Perusij ad vitę periodū perductus obijt, & in Cathedrali Ecclesia sepultus est. Pontificatum tribus annis, trigintaque quatuor dieb⁹ administrauit. Sedes, ei⁹ morte quinque mensibus vacauit. Eodem tempore floruit Albertus cognomento Magnus, insigni laude ob eximiam eruditionē meritò dignissimus, quippe cuius magisterio D. Thomam doctorem angelicum ad multorum instructionē accepimus.

CLE-

CLEMENS IIII. PONTIFEX 185. Anno 1265.

CLemens quartus, Narbonensis è villa Sancti Aegidij, antea Guido Falcodius vocatus. Iurisprudentiæ laude, parem Francia ei non habuit. Vxorem & liberos aluit: Coniuge mortua Podiensis Episcopus factus est: lapsu temporis Narbonensis: ad extremum Cardinalis omnium acclamatione declaratus est. Pontifex electus, mendicantis habitu, Perusium vsque profectus est: quò Cardinales subsecuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Interea Carolus Andegauensis in Italiam ingressus, Romæ per Cardinales ad hoc deputatos

tatos, Neapoleos & Sicilię Rex renũciatus est; ea conditione adiecta, vt feudi titulo, Ecclesię Romanæ quadraginta milia ducatorum, quotannis penderet. Carolo Rege creato, post Manfredi obitum, quem ipse deuicerat, Corradius valida manu instructus, vt regnũ recuperaret superuenit: de quo Pontifex cum per agros Viterbienses eum transeuntem videret, fertur dixisse, ipsum tãquam agnum ad macellum deduci; quemadmodum etiam iuste euenit. Edinigem Poloniæ reginam post mortem miracula facientem, in numerum Sanctorum retulit. Sanctum Bonamenturam vnice dilexit. In pauperes liberalis, erga deum religiosus, apud omnes modestus extitit: & vt paucis multu inuoluam, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona Ecclesiæ fidelissime, nullo personarũ habito respectu distribuit. Erga filias suas seuerum se & illiberalẽ exhibuit: ijs porro qui sibi eas commendabant, respondebat, nõ carni se & sanguini sed deo obedire velle. In eo statu tres annos & viginti vnum diem vixit. Mortuus Viterbij sepultus est: Vbi cum de nouo Pontifice eligendo diutius disceptaretur, anni duo & nouem menses effluxerunt.

GRE-

GREGORIVS X. PONTIFEX 186. Anno 1271.

CVm diutius de quærendo nouo succeſſore (vt dictum eſt, diſputaretur, Cardinalibus in diuerſa ſtudia Viterbij diuiſis & duobus Regibus Galliarum & Neapoleos ſua præſentia nihil proficientibus: tandem per Viterbienſes coacti & ſanis S. Bonauenturæ, ordinis S. Franciſci de obſeruantia Generalis, perſuaſionibus inducti, Gregorium decimum, decima ſeptima Septembris, anni 1271 elegerunt: Theobaldum antea vocatum è Vicecomitibus Placentiæ, Archidiaconũ Leodienſ, vitæ ſanctiſſimæ hominẽ, qui tum in expeditione Syriæ erat. Mari delatus

tus ad litora Apuliæ appulit, quem eò loci Carolus Rex accersiuit, eique se itinere terrestri, Caperanum vsque comitem adiunxit: inde Viterbum venit. Deinde cum Cardinalibus Romam deuenit, vbi 27 Martij coronatus & consecratus est. Rebus Ecclesiæ pacatis, in præsentia Gallorũ Regis, inter Venetos & Genuenses Gregorius quinque annos induciarũ pepigit. Exinde Lugduni congregauit Cócilium, in quo Paleologus Græcorum Imperator fuit: ac ibidem Græca Ecclesia cum Latina, decima tertia vice in gratiam redijt. Florétiam Interdicto puniuit, quod Gibelinos eò per se remissos eiecissent. Absoluto Concilio in Italiam regrediens, obuiam Regi Castellæ factus est: apud quem grauiter cõquestus est, quod in electione Imperatoris, Rudolpho fuisset post habitus. Auditis tamen Põtificis rationibus, animo conquieuit, iusque suum in Rudolphum trãstulit. Aretium delatus, cum Florétiam declinare, propter Interdictum studeret, in morbũ incidit & 4 annis totidem mensibus, & 10 diebus ab electionis tempore elapsis, mortuus est. In Cócilio iam dicto, inter alia decreta hoc vnum adiuuenit, vt mortuo Pontifice, Cardinales in conclauibus sub firma custodia recluderentur, ad euitãda pericula quæ ex diuturniori electionis dilatione oriri potuissent. Item oẽs alias particularitates in eiusmodi cõuentibus ob seruari solitas adiecit, qui in huius libri limine annotatæ sunt.

IN-

INNOCENTIVS V. PONTIFEX 187. Anno 1276.

INnocentius 5. Burgundus, ante Pontificatum Petrus Tarantasius vocatus, Ordinis S. Dominici religiosus, propter scientiam & intelligentiam sacrarum literarum Ostiensis Episcopus delectus: ad extremum Aretij in Pontificem electus est, anno 1276. Romã ingressus apud S. Petrũ coronatus est. Exinde ad pacẽ cõponendã oẽs cogitationes conuertẽs plures legationes instituit, ad Etruscos, quibus sub pœna excõmunicationis iniunxit, vt ab armis cõtra Pisanos arreptis abstinerẽt: Et ad Venetos & Genuẽses, quibus eos monuit, ne se deinceps bellis lacesserent

Etrusci

Etrusci mãdato paruerunt; ac presertim Florentini: qui prouide ab Interdicto per Pontificem absoluti sunt. Veneti & Genuenses ab inchoatis prælijs non destiterunt, ex quibus Innocentius eos extricasset (tantus eum ardor pacis inuaserat) nisi morte irrepente, 6. mense die 2. suæ electionis obijsset. In Laterano sepultus fuit.

ADRIA-

ADRIANVS V. PONTIFEX 188. Anno 1276.

ADrianus 5, Genuẽsis, ex illustri Fliscorum familia, antea Otto bonus nominat⁹, Innocentij 4 nepos, à quo S. Adriani Cardinalis factus est: disidio inter Regem & Nobiles Anglię orto, ipse cum amplisima potestate ad sopiendam discordiam, pacemque stabiliendam, eodem missus est. Pontifex factus Viterbium profectus, Imperatorem ad retundendam Caroli potentiam, in Italiã vocat. Qui bello contra Bohemos susceptο, Pontifici satisfacere non potuit. Carolus vero omne belli robur in Grẹciã conuertit. Adrianus inchoato Lateranẽsi Palatio 40 electionis

electionis suæ die moritur, antequam consecrationem consecutus fuisset. In conuentu Fratrum Minorum Viterbij sepulturâ accepit. Vnde accidit, quod Ecclesiæ statum tutiorem & trâquilliorem reddere, & Gregorij constitutionem de eligendo Pontifice in meliorem formam redigere non potuit.

IOAN-

IOANNES XX. DICTVS XXI.

PONTIFEX 189. Anno 1276.

IOhannes, secundum ordinem quo dinumeramus 20, antea Petrus vocatus, Vlixiponensis fuit, & professione medic⁹, ex Episcopo Tusculano ad supremam dignitatem peruenit. Qui licet doctissimus haberetur, parũ tamen se idoneum ad hanc functionem præbuit. Vnde de eo apposite dici poterat. Magistratus oſtẽdit virũ. Adeò socordis & tardi ingenij erat, vt Anconitanis bello ã Venetis illato, grauiter laborantibus, (licet vectigales essent) succurrere non curauerit. Ioannis Caietani Cardinalis Vrsini vsus consilio, cuius arbitrio omnia regebantur; Paleologum,

leologum, & Reges Orientales admonuit; vt arma in defensionem fidei susciperent. In eo laudem meritus est; quod pauperes studiosos facultatibus & beneficijs iuuabat. Libros de medicina aliaque opuscula composuit. Ruente tãdem quodam cubiculo, quod ipse Viterbij, in suo Palatio extruxerat, in eo obrutus, post ruinã solum superuixit septem diebus, octauo Pontificatus sui mẽse. Post eum sedes 6 diebus vacauit.

NICO-

NICOLAVS III. PONTIFEX 190. Anno 1277.

NIcolaus 3,ex nobilissima Vrsinorum familia,cui nomẽ antea Ioannes Caietanus erat, anno 1278. magna cum altercatione, Pontifex creatus est.Nam Carolus Rex,qui Senator Conclaui præerat,omnibus modis vrgebat,vt è Gallia quispiam assumeretur. Inito pontificatu,Carolo Etruriæ vicariatum,& dignitatem Senatoriam abstulit, strictissimè prohibens, ne vllus principum ad eam deinceps assumeretur. Exarchatum Rauennatem cum omni Flaminia recepit, cui Comitem Bertholdum nepotem præfecit. Post multas comminationes, Venetos ad-

egit, vt pacem cum Anconitanis paciſcerentur. Duos Reges ex Vrſinorũ familia creare decreuerat, vnum Etruriæ, alterũ Longobardiæ præfecturus: ille vt Germanos vltra Alpes compeſceret, hic vt Gallorum & Sicilienſium potentiã retũderet. Laudatur in eo quod generoſi animi & ſani cõſilij, probatę vitæ, morumq; honeſtiſſimorũ fuit, literarum ſtudioſos amauit, in diſtribuendis beneficijs perſonarum electionẽ deuitauit. Cardinales aliquot graues & doctos viros elegit, inter alios, fratrem ſuum, & Columnæum alterum. Præclaris ædificijs palatium exornauit, S. Petri hortos muris circundedit, Eccleſiamque reparauit, in eaque Pontifices depingi curauit. Idem etiam in S. Paulo perfecit. Canonicorum numerum auxit. Ordines Eccleſiaſticos diuiſit, vnicuique domicilium proprium aſsignans, vt aduenæ, quo in loco quiſque magiſtratus, præſertim Forenſis reperiretur, cognoſcere poſſent. Palatium Lateranenſe ad finem perduxit, Sãcta Sanctorum reſtaurauit, Eccleſiã S. Ioannis proprijs expenſis reædificauit, nunquam miſſam ſine lachrymarum profuſione celebrauit. Ordinẽ Minorum maxime promonere ſtudit; in quorum gratiam quædam dubia reſoluit. Eccleſijs vacantibus optimè omnium, & prudentiſsimè ipſe vnus prouidit. Magiſtratum alioſque Curiæ miniſtros reformauit. Multa ad publicam vtilitatem ſpectantia ordinauit. In hoc vno, quibuſdã culpabilis viſus, quod in ſuos propenſior obſeruaretur:

uaretur: præsertim quod vt ijs benefaceret, alijs subtrahebat. Tandē licet cibi potusq; abstinētissimus esset, morte tamen subitanea, in octaua Assumptionis Suriani sublatus est, Pontificatus sui, anno tertio, mense octauo, die decimoquinto. Romam relatus in Ecclesia S. Petri sepultus est. Sedes capite visibili quinque mensibus vacauit.

MARTINVS IIII. PONTIFEX 191. Anno 1281.

CArdinalibus de ſucceſſore ſollicitis, grauis Viterbij contentio, inter Hannibaldos & Vrſinos exorta eſt. Illi enim duce Richardo, adiuuãtibus Viterbienſibus, hos ex vrbe eiecerũt: qui in Conclaue irrumpentes, duos Cardinales Vrſinos captiuos cęperunt. Quorũ abſentia, Põtifex quidam nomine Simon electus eſt, natione Gallus, Turonenſis. Sãctæ Ceciliæ Cardinalis, & Martini quarti, ſibi nomen impoſuit. Viterbij coronari recuſauit, quod propter violentiam illatã, Interdicto ſubiacere affirmaret. Sed Oruieti 23 Martij inauguratus eſt ipſo die Paſchæ

chæ sex Cardinales creauit. Carolus ibi eum inuisit, cui Senatoriam dignitatem, nõ sine aliqua ignominiæ nota, restituit. E familia Vrsinorum Cardinalem Romam misit, qui Vrsinos cũ Hãnibaldis reconciliauit: vbi Richardus, laqueo in collũ iniecto, ad pedes Cardinalis humiliter se deuoluit. Romanis concessit Martinus vt duos Senatores deligere possent. Duo itaque electi sunt, Hannibaldus Petri Hãnibaldi filius, & Pãdulphus Gabellus. Paleologum excommunicauit, quod promissis in reconciliatione Ecclesiæ Græcæ cum Latina factis non stetisset: & Perusinos, quod via facti Fulgentium inuasissent & contriuissent. Petrum etiam Arragonię Regem, ex eo quod à tempore pacis, se authore cum Carolo factæ, Regnum Neapolitanum diuexare nõ desineret: quin etiam Siciliam occupabat, adiutus viribus Ioannis Procidæ, authoris illius truculentissimæ stragis, quã Vesperas Sicilianas vocant. Tandem Perusij, quo ipse propter certos tumultus, inter Gibelinos & Guelphos exortos, se contulit, morbo correptus, anni quinti Pontificatus mẽse primo, animam Deo reddidit, ac in Ecclesia Cathedrali sepulturę honorem accepit. Ad eius sepulchrum plurimi ægroti, claudi ac cæci, in eius sanctitatis testimonium, sanitati restituti sunt.

HONORIVS IIII. PONTIFEX 192. Anno 1285.

HOnorius quartus Romanus, ex illustri Sauellorum familia, primò Iacobus dictus, Perusi Pontifex electus est: vnde Romam anno 1285. digressus est. Adeo podragris & chiragris impediebatur vt celebrare nisi instrumentis ad id affabre compositis suffultus, non posset. Verũ prudentia & consilijs nulli erat secundus. Excõmunicationem contra Petrũ Regem latam, renouauit: eo quod omnibus cõnatibus, regnum Neapolitanum affectabat. Parũ etiã abfuit quin Genuenses Interdicto notauerit, quod Pisanos obstinate persequentes apud Lamellũ ingẽtibus cladi-

cladibus affeciſſent, Flaminiã recuperauit. Guidone Feltrano, à quo iniquietabatur mortuo. Carmelitarum ordinem, cappis nigris in albas commutatis confirmauit. Ordinem quoque, qui Eremitarum inſcribitur, antea Pariſijs exagitatum confirmauit: non quod illi celeberrimi ordines, demũ huius Pontificis ætate, ſua initia cæperunt; ſed quod ex obſcuris, Aſiæ & Aſricæ latebris erumpentes, magis innotuerint, ac in Italiam aliaſque Europæ partes ſeſe effuderint: feliciuſque increuerint, ſub Apoſtolicæ Sedis clientela & patrocinio conſtituti. Etenim Carmelitarum ordo ab ipſis Apoſtolorũ temporibus, in Monte Carmelo inchoatus fuit, vnde & nomen ſuum mutuo accepit. Tẽporis tandẽ progreſſu, numero hominum & domiciliorũ multiplicatus eſt. Verum Sarracenis irruentibus; diſiectus & diſsipatus, nonnihil detrimenti accepit: ijs porro denuo eiectis, ordo circa ea tẽpora iterum refloruit. Eremitarum vero religio, ab ipſo patre Auguſtino in nemore prope ciuitatẽ Hipponenſem (teſte Poſsidonio) fuit inſtituta, quæ viuo Auguſtino & mortuo, magna deinceps ſumpſit incrementa. Poſt aliquot annos, Barbarorum irruptione cecidit: hinc Eremitis in Italiam aduentantibus, alijs aliò migrãtibus, in varias prouincias & Europę partes ſeſe protulerũt: donec omnes in vnum corpus reuocati, authoritate Apoſtolica, loco, habitu, coniuncti, ad Auguſtini regulam, normam, & nomen arctius religati

gati sunt. Insuper & in ciuitatibus habitare sunt iussi, vt Episcopis, Parochis, & alijs Ecclesiæ Pastoribus, tãquam subsidiarij sodales, auxiliarentur. Vnde factum est, vt Eremitarũ nomẽ, quod ex solitudine ab initio habuit, etiam in medijs vrbibus retineat. Vt ad Honorium sermo recurrat, toto Pótificatus sui tempore, vnicum Cardinalem creauit, Ioannem Buccumatium Episcopum Tusculanum. Alumnorum suorũ, domesticorum, & famulorum suorum amantissimus erat, quorum salutis singularem curam habebat. Ad extremum, vbi Petri nauiculã fęliciter duobus annis, & vno die direxisset, naturæ tributum in monte Auentino, in quo se continebat persoluit, ac inde ad S. Petrum ad sepeliendum delatus est. Sedes 10 mensibus vacauit.

NICO-

NICOLAVS IIII. PONTIFEX 193. Anno 1288.

POst mortem Honorij, Cardinales diuersis morbis exagitati in causa fuerũt, vt Cõclaue reseratum maneret, nec ante decimum mensem fuit reclusum. Quibus decursis, in S. Sabina Pontifex Nicolaus quartus electus est, patria Asculanus, ordinis Minorũ Generalis, ante Hieronymus dictus. Seditionibus Romę coortis inde discedens, Reate profectus quosdam ibi Cardinales ex omni fere Religione creauit. Rebus tranquillioribus redditis, ad Vrbem redijt, Ecclesiamq; S. Mariæ Maioris reparauit, Cardinalis Colũnæ auxilio adiutus, partes quoque anteriores. Eccle-

siæ Lateranensis reparauit. Certis adiectis conditionibus Aragoniæ Regem cum Neapolitano recõciliauit. Ptolomaidi per Soldanum obsessæ, bis mille & quingentos milites proprijs expensis auxilio misit. Carolum 2 regnis Sicilienſi & Neapolitano inuestiuit. Legatos ad Reges Franciæ, & Arragonum, vt eos induceret ad ferendas Terræ Sanctæ suppetias misit. In quo cũ frustra se laborare intelligeret, tristitia & amaritudine confectus, quarto post electionem anno, mense vno, & die octauo, mortuus est, & in Sancta Maria Maiore sepulturæ traditus. Cardinales se Perusium receperunt, quò facilius successoris electioni vacarent: licet eorum discordia ad vigesimum septimũ mensem ea res protracta fuerit.

CAE-

CAELESTINVS V. PONTIFEX 194. Anno 1294.

CAroli Regis procuratione, & Cardinalis Latini Vrſini diligentia, poſt diutinam deliberationẽ, & diſceptationẽ, Cælestinus 5. Anachoreta Eſeruienſis electus fuit: Petrus Moroncus pridem dictus, qui in Monte Marcella dicto, non procul à Sulmone ſolitariam vitam agebat. Peruſium proficiſci à Cardinalibus ſuadebatur: verũ quia aliam Caroli Regis ſciebat eſſe voluntatem; Aquiliam ſe cõuertit: vbi receptus & coronatus eſt, incredebili hominum frequentia, propter rei nouitatẽ, eodem confluẽte. Cardinales 12 creauit, homines maximi meriti, inter

quos

quos duo heremitæ fuerunt. Verũ cum & propter oneris magnitudinem, & rerum inexperiẽtiam, parum idoneus huic tanto fastigio sibi videretur; abdicare se magistratu ipsi in mentem venit. Adeo namque facilis, & benignus erat, vt nihil vnquã vlli petenti recusauerit: quin vero quandoque duobus idem annuebat. Quod abdicationis consiliũ tã vehementer vrgebat, & promouebat Cardinalis Caetanus, vt tametsi Carol⁹ Rex, Neapolim secum perduxisset, Cælestinum quò illũ de ea sentẽtia dimoueret, tandem sexto sui Põtificatus mẽse, propria spõte suæ dignitati cesserit. Ad solitudinem vero excussio onere rediens, succesforis mandato in arcẽ Fumonis cõiectus est, vbi mærore animi confectus 14. Calẽ Iulij obijt. A Clemente 5. in Sanctorũ numerum propter miracula relatus est.

BONI-

BONIFACIVS VIII. PONTIFEX 195. Anno 1294.

BOnifacius 8. Anagninus, antea Benedictus Caietanus vocatus, Neapoli ipsa vigilia Natiuitatis, in locum Cælestini officio sese abdicãtis, subrogatus est: vir doctrina quidem insignis, & rerum experientia laudabilis, verum supra modum ambitiosus & arrogans. Indulta & fauores, per prædecessores suos Cælestinũ & Nicolaũ concessa, abrogauit, Gibellinos persecutus, cõtra Columnenses implacabile odium concepit: ex quorum familia duo Cardinales Schismatici per ipsum denũciati sunt, & omnibus thesauris spoliati. Præneste obsidione cingit, ac diripit, idé quoque

quoque ad Zagalorum & Columnã fecit. Sciarra Gibellinorum patronus, Pontificis furorem declinans in piratas incidit. Omnium Apostolorum & Euangelistarum, item quatuor Doctorũ Ecclesiæ festa, sub duplicis officio celebrari instituit. Sextum Canonum codicem composuit. Engubium quæ ab Ecclesia defecerat recuperauit. Alberto Austriæ Duci Imperij confirmationem, bis terque petenti, recusauit. Reate existens cum vehementi terræ motu multa ædificia ruinam passa fuissent, ipse sibi in medio prati domum ligneam constrúi iussit. Aliquot Cardinales creauit. Anno 1300. mẽse Decembri annum Iubileum instituit, quem annum Sanctũ vocãt, vt cẽtesimo quoque anno celebraretur. Hermãni cuiusdã corpus exhumari & cremari iussit, licet pro sancto coleretur. Patrimonij sancti Petri administrationem Carolo Valesio Comiti, Philippi Regis Francorum fratri cõcredidit. Cum eodem Rege iurgium habuit, quod Episcopũ incarcerauerat, quẽ relaxare sub anathematis pœna præcepit. Hanc ob rem commotus Philippus Parisijs Concilium habuit: Bonifacius è contra coacta synodo Philippum excommunicauit. Verum hic iniuriam sibi illatã vlturus; Sciarram è manibus piratarum à se redemptum, cum Nogaretio Gallo equite, Romã misit: qui noctu Anagniam ingressus, Pontificẽ nihil metuentem capit, Romamque perducit, vbi tædio & merore, 35 die post moritur, octauo post

uo post electionem anno, mense nono, die 17. In sancto Petro sepultus est, in sacello quod ipse extruxerat. Pulpitum ipse quoque erigi in Laterano procurarat, ex quo excommunicationes die Iouis sancto publicabãtur: vbi etiam Philippus & Columnenses anathemate notati fuerant. Et vt ait Panuinius, decretum Gregorij 10 de creatione Pontificis approbauit, id quod etiam Cælestinus fecerat.

BE-

BENEDICTVS IX. DICTVS XI.

PONTIFEX 196. Anno 1303.

BEnedictus 11. Taruisinus, S. Dominici ordinis Generalis, Nicolaus antea vocatus, propter raram & singularem doctrinam, Ostiensis Cardinalis à Bonifacio creatus, eidem in Sede Pontificali successit. Mox Sciarram cũ sectatoribus in iudiciũ vacauit, quò, cũ se venire velle negassent, de integro excõmunicauit. Cognita vero Philippi causa, eundẽ absoluit: Cardinalibus Columnesibus eundem fauorem impertijt, illis omnia, bona restituens ad breue tempus tamen vti pileo rubeo prohibuit. Cardinalibus aliquot creatis, res Italiæ componere studuit, vt

ijs

ijs fedatis, Christianis in Syria laborantibus auxilium ferre posset. Verum in ea deliberatione Perusium profectus, ibidem mortuus est, octauo mense, & decimo septimo post electionem die. In Ecclesia Fratrum Prædicatorum sepultus est. Miracula ab ipso edita, sanctitatis eius sunt euidentissima signa, nam ægrotos sanauit & demoniacos liberauit. Post eius mortem sedes 13 mēses & 2 dies vacauit.

CLEMENS V. PONTIFEX 197. Anno 1308.

POst multas & varias disputationes inter Cardinales de creando Pontifice; ad Pontificatum absens Bertrandus Gotto Vasco, Episcopus Burdegalensis electus fuit; ac sibi nomen Clementis quinti imposuit. Hic Burdegala Lugdunum pertransiens, eò omnes Cardinales conuocauit, Curiamque Romanã in Gallias traduxit, vbi 70 & amplius annis perseuerauit. In Pontificis huius coronatione adfuere Franciæ Rex, frater eius & Britanniæ Dux. Sardiniam Federico Siciliæ Regi dono dedit, ea solum cõditione vt ex ea Sarracenos abigeret. Sectam Fratricellorũ hæreti-

hæreticorũ, & Templariorum multis erroribus implicitorum, exterminauit. Venetos qui cum præiudicio Ecclesiæ ad Ferrariensem principatum aspirabant, excõmunicauit. Idem bis contra Florentinos, & Lucenses tẽtauit; quod ab armis contra Pistorienses sumptis, abstinere nollent: absolutionem tamẽ postea, quod in Ferraria recuperanda Pontificem iuuissent, consecuti sunt. Robertum, patre eius mortuo, regno Neapolitano inuestiuit. Henricũ Luxemburgensem Ducem, Imperatorem electum confirmauit: ea cõditione, vt post biennium coronam accepturus, Romam veniret. Bonam pecuniæ summam ad Lateranum incendio absumptum restaurãdum, misit. Diuersis ordinationibus plures Cardinales creauit. Columnenses restituit. Nogaretium & Sciarram, à Rege Franciæ postulatus absoluit. Verum Bonifacium improbare noluit. Cælestinum 5 in sanctos retulit, eum Petrum Confessorem nominans. Ad extremum morbis exagitatus, post octo annos, 10 cum dimidio mẽses, migrauit è vita. Sedes 2 annis 3 mensibus & 17 diebus vacauit. Clemens maiorum suorum secutus vestigia, legem à Gregorio latam cõfirmauit, & secundum Panuinium aliquid ei, adiecit.

IOANNES XXI. DICTVS XXII.

PONTIFEX 198. Anno 1316.

IOannes 21, Episcopus Portuensis, ante electionem Iacobus Caturcensis dictus, Lugduni post longam dilationem Pontifex creatus est, ac ibidem in Cathedrali Ecclesia coronatus. Auinionem profectus, octo Cardinales mense Decembri ordinauit. Ludouicum, Caroli 2 Regis Neapolitani filium Episcopum Tolosanum, inter sanctos retulit. Tolosamque Metropolitanã fecit, Episcopum Limonensem, & Abbatiam S. Pontij Archiepiscopatui Narbonensi attribuit. Nouas dignitates in Ecclesijs & noua Collegia instituit, Ordinem Grandimontensem reformauit.

mauit. Cæsarauguſtanam Eccleſia in Hiſpanijs in Metropolitanam erexit. Ordinem militum Chriſtianorũ in Portugalia inſtituit, quos Mauris opponeret, quibus Templariorum bona, & poſſeſsiones incorporauit. Diuos Thomas inter ſanctos retulit, Herſendẽſem ſclicet & Aquinatem, ambos ſanctiſsimos & doctiſsimos. Deinde ſeptem alios Cardinales creauit. Excõmunicatos declarauit quicunque affirmarent Chriſtũ, eiuſque diſcipulos nihil vnquam proprium in vita habuiſſe. Gioſſulam improbauit cuiuſdam qui tertij ordinis fratres ad imitandam Chriſti paupertatem hortabatur. Excommunicationis fulmen in Vicecomites diſtrinxit, qui Mediolanum vſurpauerant. Idem contra Ludouicum Bauarum fecit, qui omnem Italiæ tranquillitatem turbauerat. Ortonam ab Aretina Eccleſia diuiſit, eamque in Epiſcopatum erexit. Anathemate etiam notauit Nicolaum Eſtẽſem Ferrariæ Dominũ, & Paſſerinum Bonacoſſum Mãtuæ Tyrannum, qui ſtatum Eccleſiæ diuexabãt. Ioannem Vrſinum in Italiam miſit, qui Florentinos & oẽs Guelphos in Bauarum armaret. Hic enim cũ exercitu in Italiã traijciens, Romæ coronã acceperat, Antipapamque quendam Petrũ Corbarienſem, ordinis S. Franciſci de obſeruantia, creauerat; ac Nicolaum quintum nominauerat: qui paulò poſt, per Boniſaciũ Comitem captus, & Auinionem perductus, in carcere mortuus eſt. Hoc impedimento liberatus, & Bauaro

in Germaniam reuerſo, Pontifex Regis Galliarum auxilio, expeditionem in Sarracenos promulgari procurauit. Dum verò huic rei animũ intentum haberet, anno Domini 1334. Pontificatus 19. 4 Menſe, ætatis vero ſuæ 90, Auinione animam Deo reddidit, ac in Eccleſia Cathedrali ſepultus eſt; magnum auri pondus relinquẽs. Amauit & ampliſimis honoribus auxit Dinum Florentinum, & Gentilé Fulginaté Medicos excellentiſsimos, vt erat in viros doctos, & præſtantes, propenſus & officioſus.

BE-

BENEDICTVS X. DICTVS XII.

PONTIFEX 199. Anno 1334.

BEnedictus 12 primò Iacobus Tolosanus dictus, ordinis Cistercienſis, Cardinalis exiſtens, die poſt Ioannis obitum 16, ad Pōtificatum euectus eſt. Quem cōſecutus, mox cenſuras cōtra Bauarum à prædeceſſore latas confirmauit, quod Imperium vſurpaſſet: quam dignitatē tum vacare, & ad ſe tanquam Chriſti vicarium deuolutam eſſe prætendebat. Interim ne Italia externo hoſti pateret, multos Italiæ proceres, paſsim in vrbibus quas poſsidebant, Sedis Apoſtolicæ vicarios creauit. Romanis, per Legatum ad eos miſſum, perſuaſit vt Senatoriam dignitatē, tan-

quàm à Pontifice promanãtem, nõ autem à Regibus, exercerent; quemadmodum vsu introductum diutißimè obßeruauerant. Vnica ordinatione ßex Cardinales, viros virtutibus ornatißimos creauit. Omnibus modis Regem Franciæ cum Anglicano, licet in vanũ conciliare ßtuduit. In rebus honeßtis & iußtis, conßtantißimus perßtitit, bonos amore complexus eßt improborum voluntati, & conatibus, quantum fieri potuit repugnauit. Septem annis, tribus menßibus & 17 diebus, eius Pontificatus durauit. Eius mors grauem animi dolorem omnibus inflixit. Eius tẽpore Petrarcha lauro coronatus eßt.

CLE-

CLEMENS VI. PONTIFEX 200. Anno 1342.

CLemens 6. Lemouicensis, Petrus antea vocatus, ex monastica vita assumptus Archiepiscopus Rhotomagensis, vir doctissimus iuxta & eloquentissimus fuit. Post Benedictum decimum, Pontificiæ vices Auinione ei anno Domini 1342. nonis Maij cesserunt, ac decimo quarto Calendas Iunij coronatus est. In quatuor temporibus decem Cardinales creauit: anno vero euoluto duos alios ordinauit, inter quos duo erant eius nepotes, tertius frater germanus, quartus ei affinitate coniunctus. A Romanis rogatus, Iubileum quod centum annorum

spatio constitutum erat, ad quinquaginta reuocauit. Vt vero conatibus Bauari contrairet, Vicecomites Luchinum & Ioannē in ditione Mediolanensi Vicarios cōfirmauit. Ille vt cuneum cuneo opponeret, in ditione Ecclesiastica, multos itidem Imperialis officij administros instituit. In eius rei contemptum, Clemens filiū Regis Bohæmiæ Imperatorem creauit: qui beneficij accepti memor, Nicolaum Rentij, qui Romæ tyrannidem exercebat, Auinionem vinctum ad Pontificem misit. Eodem in compedes cōiecto, ad Vrbē duos Cardinales destinauit, qui perturbatum reip: statum in meliorem formam reuocarent. Auinionem ab Ioanna Regina emit, & Tarentinum eiusdem maritum, Neapolitanum Regem declaratum, cum Hungarię Rege reconciliauit. Vicecomites cum Florētinis necessitudinis fœdere reuinxit: vt ea ratione ruinam quā Bauarus Italiæ minabatur, facilius propulsaret. Quin etiam pacem, licet frustra inter Franciæ & Angliæ Reges cōponere maximè studuit. Creatis aliquot Cardinalibus, Iuoneque Britanno in sanctorum numerum relato, mortuus est, anno 1352. Pontificatus sui decimo, mense vero exceptis duobus diebus, septimo.

INNO-

INNOCENTIVS VI. PONTIFEX 201. Anno 1352.

DEcimo sexto Calendas Decembris anni 1352. Innocentius sextus Clementi successit, antea Stephanus vocatus, prima professione Procurator, & post Episcopus Claromontanus: deinde Cardinalis, ad extremum ad Pontificatum peruenit. Post quam coronatus fuit, multas reformationes per prædecessores suos illatas abrogauit. Prælatis & beneficiatis, vt in suis locis residerét iniunxit, impésas Aulæ suæ, familiáq; imminuit. Domi suæ, non alios viros quam peritissimos alere voluit. Idemque Cardinalibus vt facerent præcepit. Palatij Auditoribus vt facerét præ-

præcepit. Palatij auditoribus ſtipendia conſtituit, ne præmijs corrõpi ſeſe paterentur. In Italiã Cardinalẽ Aegidiũ Hiſpanum miſit, qui magnum adiumentũ ſua præſentia rebus Italicis attulit. Interea temporis quia Franciſcus Baroncelli Senatoriam dignitatẽ Romę ſibi vi vſurpauerat, Pontifex Nicolaum Rentij è carceribus eductũ libertate donauit, eidemque oppoſuit, vt inter ſe contendentes, ſibi inuicem perniciem atque exitium inferrent. Tumultibus autem & diſſenſionibus inualeſcentibus, eòdem Regem Cypri Senatorẽ à ſe factum miſit; vt quoſdã qui ſe reip: reformatores vocitabant opprimeret. Cum vero pacem inter Gallos & Anglos omnibus neruis, licet in vanum componere ſtuderet; mortẽ oppetijt, Pontificatus ſui anno 9. menſe 8. die 6. Vir fuit iuris Ciuilis & Canonici peritiſsimus, ſincerę vitæ, & magnæ cõſtantiæ, Beneficia nullis niſi ſufficienter doctis cõtulit. Eodem tempore Eclypſis Solis inſolita apparuit. Bartholus Iuriſconſultus clariſsimus dies ſuos terminauit.

VRBA-

VRBANVS V. PONTIFEX 202. Anno 1362.

VRbanus quintus, eiusdem cum superioribus Pontificibus patriæ fuit, antea Guilhelmus Grisant appellatus, & ex Abbate Sancti Victoris Massilienſis ad ſummum Eccleſiæ faſtigium euectus eſt, eo ſcilicet tempore, quo apud Vicecomites legatione fungebatur. Auinionem profectus, ſua ſingulari animi magnitudine qua præditus erat, Cardinalem Aegidium (de quo ſupra) in Italiam miſit, vt libertatem Eccleſiaſticam tueretur. Eòdem etiam ipſe Pontificatus ſui anno quarto ſe contulit, vt controuerſias ibidem exortas extinguere. Is ſopitis, cum pia

pia vrbis loca visitaret, Sanctorum Petri & Pauli capita in loco satis vili reperit: quæ auro argẽtoque circundari & exornari procurauit, solennique pompa in Laterano reposuit. Orulieti & in Monteflascone, palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aëris temperiem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mortuo Aegidio Cardinale Ioannem Haucut Ducẽ bellicosissimum militiæ ecclesiasticæ præfecit. His peractis in Gallias se recepit, vbi Põtificatus sui anno 8, ac mense quarto, diem clausit extremum, eo tempore quo Brigida mulier deuotissima, Romam voti reddendi causa venerat.

GRE-

GREGORIVS XI. PONTIFEX 203. Anno 1370.

GRegorius vndecimus natione vt prædeceſſores, Lemouicēſis, antea Petrus Belliforti vocatus decimo ſeptimo ætatis ſuæ anno, Cardinalis per Clemētem Sextum patruum ſuū creatus, ſub Baldo Iuriſcōſulto peritiſsimo, maiora incremēta deinceps Peruſij cepit. Vitæ fuit innocentiſsimæ. Vrbanitatis humanitatiſq; fuit pleniſsimus. His virtutibus tanquam quibuſdam gradibus, omnium conſenſu ad ſupremum Eccleſiæ gradum peruenit. Cum vero totam Italiā tumultibus occupatam videret, eò Cardinalem Gebennenſem cum ſex millibus leuis armaturę equitum

equitum Britonum misit. Quorum aduẽtu, cum nihil à tumultuatione recederetur: ipse Pontifex confirmato animo, viginti & vnam triremes super Rhodano præparari imperauit, aliòque properare se fingens, primò Genuam, inde Cornetum, ac postremò itinere terrestri idibus Ianuarij Romã peruenit, anno 1376: à translatione verò Curię Romanę in Gallias per Clemẽtẽ, 70. Huius vero transmigrationis causam, quidã hãc esse putãt, quod quidam Episcopus familiariter à Pontifice reprehẽsus, quod in Episcopali sede non resideret, in facto & constanti animo respondisse feratur: & tu qui vniuersalis Ecclesiæ, omniumque Episcoporum caput es, cur ad propriam Ecclesiam nõ redis? Hac responsione exasperatus, reditum maturauit. In Vrbẽ ingrediẽs incredibili omnium applausu exceptus, præpopere mœnia Vrbis, Ecclesias, aliaque loca quæ ruinam minabãtur reparauit. Omnibus autem modis Italiæ quieti & bono publico consulens, Legatum ad Florẽtinos destinauit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur: quibus iussa exequi negligentibus, excommunicationis medelam inflixit. Adhæc, cum eosdem armis ad id adigere meditaretur; inter Genuenses & Venetos ecce nouà dissensio suboritur: quos dum ad vnionem reducere tentat, incredibili vesicę cõflictatione impeditus est, ac quinto Calendas Aprilis, Anno supra millesimum, trecentesimũ, septua-

septuagesimo octauo: Pontificatus vero sui anno nono, mense quinto, magno sui omnibus ingenerato desiderio, obijt: ac in sancta Maria via noua sepultus est.

VRBANVS VI. PONTIFEX 204. Anno 1378.

MOrtuo Gregorio, cum de successore eligẽdo tractaretur, Clerus populusque Romanus, vt quispiam è natione Italica adsciscereturpostulabant. Gallici vero Cardinales qui numero alios excedebant, occasionem præbuerunt, vt Bartholomęus Prignanus Neapolitanus, Archiepiscopus Barensis assumeretur. Hic se Vrbanum sextum vocari voluit. Cardinales vero è Conclaui egressi, eam electionẽ sibi non probari declararunt: tametsi pœnitentiaque ducti, denuo cõgregantur; initoque conuentu, eundem quem sibi delegerant, pro vero ac legitimo pontifice reue-

reuerentes, confirmatis suffragijs receperunt. Trimestri euoluto, qui è Gallijs erant Cardinales, sub æstus Vrbani deuitandi prætextu, obtẽta prius à Pontifice libera abeundi facultate, Anagniam commigrarũt, vbi ad calumnias conuersi, Antipapam Cardinalẽ Gebennensem crearunt, Vrbani septimi nomen ei imponentes. Ad eam electionem Ioanna Regina authoritatem suam interponens, maximum pondus contulit. Vnde Pontifex eam iniuriam vlturus, Carolũ qui sub vexillis Regis Hungariæ, militabat aduocauit, eumque Regem Neapolitanum, ad exclusionẽ Ioannæ declarat. Eo confirmato, Neapolim pergit, ac à Rege, vt nepotem suum Capuanũ principem creet, postulat. Accepta repulsa Nuceriam se transfert, ibidemque Cardinalibus nouis declaratis, septem ex prioribus in vincula conijcit, Regemque ipsum, adhibitis quibusdam Iuris solennitatibus, dignitate priuat. Hac rei indignitate commotus Carolus, conscripto milite, eum Nuceriæ obsidet. Verum per Raymundum Comitis Nolani filium, qui cum exercitu superuenit, periculo liberatus est. His peractis, Genuam pertransiens, Cardinales quinque corio inclusos in mare inijci, & submergi procurat. Anno vero expleto, in Etruriam profectus, plurima loca quæ ab Ecclesiæ obedientia defecerant, eidem restituit. Carolo mortuo Neapolim proficisci meditatur, vt filios eius regno exturbaret: sed res vt proposuerat non succesit, proinde re infecta

Romam redijt, vbi anno Pontificatus vndecimo, menſe quarto obijt, variam ſui nominis famam poſt ſe apud poſteros relinquens. In Sancto Petro ſepultus eſt.

BONI-

BONIFACIVS IX. PONTIFEX 205. Anno 1389.

BOnifacius nonus, Petrus antea vocatus, natione Neapolitanus, ex illustri Tomacellorum familia fuit: cõmunibus omniũ suffragijs, anno ætatis suæ quadragesimo quinto, vt probabiliter obseruauit Panuinius, nõ autẽ trigesimo, vt opinatus est Platina ad Pontificatũ vocat⁹ fuit. Hic, vt multa ingenij acrimonia valebat, omnẽ populi Romani gubernãdi rationẽ, ad solũ Papã trãstulit. Vnde magistratus ex arbitrio & pro libito cõstituebat. Clemẽte Antipapa mortuo, Cardinales schismatici Petrum quẽdam de Luna in eius locum sufficiunt, Benedicti decimi tertij ei

nomen imponentes. Tunc temporis Perusij inter Nobiles & populum magna discordia suborta est. Hanc vt extingueret, Pontifex eò se contulit, cuius præsentiæ, etsi plurimum reuerentiæ, & obedientiæ deberetur, ipse tamen nihil efficere potuit. Nam populus furore exacutus, ad 80. nobiles crudeliter occidit. Hac iniuria Bonifacius se læsum sentiens, Asisium concessit, & per Legatos Galeatio Duci persuasit, vt Mãtuam obsidione solueret. Iubilæi vero anno appropinquante, Romani suis precibus apud Pontificem institerunt, vt ad Vrbem reuerteretur: ad quod vt inducerent, Banderesios destituerũt, eorumque loco Malatestam Pisaurienſis domini filiũ, Senatorem delegerunt. Ad vrbem Pontifex reuersus, arcem Sancti Angeli muniuit, mœniaque & turres restituit, & sic paulatim dominatu Vrbis potitus est. Annus Iubilæi 1400. cum incredibili hominum affluentia celebratus est. Paulò ante, Romam Præsbyter quidam, cum certo hominum numero quos Blanchos vocabãt, venerat: qui iussu Bonifacij pro hæretico exustus est. Idem Pontifex Annatarum imponẽdarum primus author fuit: vnde ærario Ecclesiæ plurimum accessit. In regnum paternũ restituit Vdislaum, priuationem qua Carolus exutus erat, irritam faciens. Ad extremũ anno domini 1405. ex hoc mundo migrauit, ac in Sancto Petro, sepultus est, Põtificatu quatuordecim annis & nouem

uem mensibus administrato. In eo vero aliquam suo nomini notam inusit, quod parentes suos nimio fauore prosecutus fuerit, quod nimirum hi, Pontificis conniuentia & auctoritate ad nequitiam, & multorum perniciem abuterentur.

INNOCENTIVS VII. PONTIFEX 206. Anno 1404.

INnocentius septimus, pridem Cosmatus nomine, ex Cardinale sanctæ Crucis Pōtifex factus est, tota Italia tumultuāte propter mortem Ioannis Galeatij Mediolanensis Ducis. Schisma recrudescebat indies: quod Pontifex, (qui tamē antea prędecessorum suorum in ea, similibusque rebus, oscitantiam vituperare solebat) nō modò sopire neglexit, sed ne remedij quidem adhibēdi mentionem fieri volebat. Nam cum populus apud eum instaret, vt seditiones rescinderentur, & vt sibi Capitolium, pons Miluius, Castellūque Sancti Angeli restituerentur, adeò excanduit, vt

eos ad nepotem suũ, ceu ad carnificem miserit, à quo punirentur: ex quibus plurimi supplicio affecti è fenestris sunt eiecti. Hoc facinore irritatus pòpulus, Ladislaum Neapolitanum Regẽ aduocat, atque ad arma conuolat. Pontifex vero rei nouitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: vnde postmodũ à populo, deuicto per Vrsinum eius militiæ Ducẽ Ladislao, reuocatus est. Romam reuersus, aliquot Cardinales, ex quibus tres Põtifices postea delecti fuerunt, creauit: exinde nepotem suum agri Piceni & Anconensis Marchionem, eundemque Firmanum Principem creauit. His peractis, anno Pontificatus sui secundo mortuus, & in sancto Petro sepultus est.

GREGORIVS XII. PONTIFEX 207. Anno 1406.



SChiſmate indies inualeſcente, Cardinales Romæ Conclaui incluſi, ſolenni ac mutuo iuramento ſeſe obſtrinxerunt, vt quicumque ex ijs Pontifex eligeretur, mox Pontificatui renũciaret: dummodo Antipapa Benedictus, qui tũ in Gallijs viuebat adhuc, idem faceret. Proinde pridie Calendas Nouembris, Cardinalis Sancti Marci, nomine Angelus Coriarius, Venetus, Põtifex aſſumptus eſt, nomenque Gregorij duodecimi ſibi impoſuit: qui ſtatim poſt Pontificiæ dignitatis adeptionem publico ſcripto quod ante promiſerat, confirmauit. Interea temporis

Antipapa

Antipapa Auinione Cataloniam, natale solum transfugit, eò quod Franciæ Principes instigantibus Cardinalibus Gallicis, ipsi persuaserant, vt magistratu sese abdicaret, timebat enim ne ipse violenter abriperetur. Cum autem de deligendo loco consilium iniretur, quo se Gregorius & Benedictus reciperent ad prædictam renunciationem declarandum, vtrinque difficultates exortæ & contextæ sunt. Proinde Auinionenses & Romani Cardinales eos priuarunt, congregatoque Pisis Concilio, cõmuni omnium cõsensu, pro vero ac legitimo Pontifice Alexander quintus est renunciatus. Gregorius & Benedictus se subtraxerunt, alter in Flaminiam, alius vero in Perpinianum, quorum in posterũ amplior mẽtio fiet.

ALEX-

ALEXANDER V. PONTI-
FEX 208. Anno 1409.

ALexander quintus, instituti sancti Frãciſci religioſus, antea Petrus Filardus vocatus, natione Cretenſis, commẽtaria in libros Sentẽtiarum cõpoſuit: diuini vero verbi præco maximus habitus eſt. Opera & procuratione Ioannis Galeatij, cui à ſecretis erat, primò Vicentinus, poſtea Nouarienſis Epiſcopus, gradatimque adſcendens Mediolanenſis Archiepiſcopus electus eſt. Innocẽtij vero fauore, Cardinalitia dignitate adauctus, ex eo gradu ad ſummum Eccleſiæ culmen euectus eſt. Ad Pontificatũ omniũ Cardinalium ſuffragijs promotus, Ladiſlaum ceu Eccle-

Ecclesiæ persæcutorẽ, Neapolitano regno exuit, illudque Ludouico Andegauensi contulit. Rebus ad hunc modum compositis, Bononiam se recepit: vbi in morbum incidit, mortẽque instare sentiens, Cardinales ad se accersiri iussit: quos cum ad pacem & concordiã, communẽque Ecclesiæ vtilitatẽ adhortatus fuisset: omnia quæ in Concilio Pisano decreta erant, sibi iusta videri dixit, & vt legitima confirmauit. Ad extremum tandem, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis pronuncians*, spiritum Deo reddidit, postquã octo mensibus Ecclesiam rexisset. Bononiæ in Ecclesia Sancti Francisci sepultus est. Pauperes vnicè diligebat, plurimum humanus erat, & in quemuis liberalis, adeò vt interdum omnibus exhaustus per iocũ dicere soleret, se diuitẽ Episcopum fuisse, Cardinalem pauperem, Pontificem vero mendicum.

IOAN-

IOANNES XXII. DICTVS XXIII. PONTIFEX 209. Anno 1410.

IOannes 22 Neapolitanus, prius Baltazar Cossa vocatus, ex illustri familia, cũ Bonifacio nono à secretis & cubicularius esset, Cardinalis & Legatus Bononiensis factus est: quã prouinciam laudabiliter executus est, verum in ea legatione tantas opes congessit, vt ijs ad Pontificatum sibi viam munierit. Ad eam dignitatem promotus, Electores Imperij adhortatus est, vt Sigismundũ Bohemiæ Regem Imperatorem deligerẽt. Quo facto, eidem in Italiam transituro, Ioannes qui per Ladislaum inquietabatur, obuiã apud Laudam processit. Eò Sigismundus appulsus, vnà

Mantuam

Mantuam perrexerunt, vbi Regia magnificentia per Dominũ Franciscũ Gonzagam excepti sunt ac ibidẽ consultatum de bello Ladislao inferendo, qui in plurimas Ecclesiæ ditiones inuolauerat, imò in eam temeritatem deuenerat, vt ne Vrbi quidẽ peperciſſet. Interea Ioannes, omniũ christiani nominis procerum nomine, vt compareat, citatur, ad schisma tollẽdum. In Germania vrbs Constãtia futuro Concilio designatur. Eò deueniens, tantis & tam enormibus accusationibus oneratus est, vt mutato habitu, nõ sine magno timore, clam se subtraxerit. Verum decreto contra ipsum lato, apprehẽsus est, & in carcerem cõiectus, quadraginta criminibus, quibus grauatus erat, conuictus. Hinc cõmuni omniũ consensu depositus fuit: sentẽtiamque aduersum se pronunciatam approbauit, ac Ludouico Bauaro ad custodiendum traditùs, tribus annis captiuus detentus est. Exinde Gregorius quoque citatur, qui comparere recusat. Verum bonis Sigismundi admonitionibus persuasus, Carolum Malatestam eò misit: qui omnium intellecta intentione, nomine ipsius renunciat. Alter Antipapa Gregorius, occupata arce Panicolæ in Perpiniano, adeò se contumacem præstitit, vt eius causa discussa per Cõcilium, depositus fuerit. In eadem synodo Bohemorum error damnat⁹ est, corũq; Antesignani Ioãnes Hus & Hieronymus Pragensis exusti sunt. Omnibus hisce rebus transactis, ad eligendum nouum Pontifi-

cem

cem animum adiecerunt: ad quam rem debito modo perficiendã, ex omnibus nationibus probatæ vitæ viros sex, qui cum Cardinalibus Conclaue ingrederẽtur, selegerunt: quibus introductis tertio Idus Nouembris, anni 1417, ipso die Sancti Martini, contra omnium opinionem, cõmuni tamen gaudio Cardinalis Columna Pontifex eligitur: qui sibi nomen ab eo sancto qui in eum diẽ incidebat, accepit. Sed de eo in subsequentibus latius. Quod ad Ioannem & Gregorium attinet, vnus Concilij decretis agri Piceni Legatus designatus est: alter vero per Martinum (cui se Florentiæ humiliter submiserat) Cardinalis & Episcopus Tusculanus creatus fuit. Verum paulò post, mœrore animi afflicti perierũt. Gregorius quidem Recaneti: Ioãnes vero Florentiæ, cuius Cosmas à Medicis hæres factus, supra modum locupletatus est.

MAR-

MARTINVS V. PONTIFEX 210. Anno 1417.

MArtinus quintus ex illustri Columnensiũ familia, per Innocentium septimũ Cardinalis creatus fuit. Inito Põtificatu, humanum se maximè prudentẽ, iustum, & in omnibus suis actionibus exercitatissimum exhibuit. Legatum qui Antipapæ Petri de Luna conatus reprimeret, misit, quo tamen nihilo factus melior, insipienter in sua opinione perseuerauit: quò factũ est vt ab ijs qui partes eius tuebantur merito desertus fuerit. Instituit, vt certis temporum interuallis Concilia celebrarentur, ne Antipapæ alioquin occasionem arripientes, Synodos ipsi

etiam cogere assuescerent. Rogantibus Imperatore,& Gallis,vt in Germania remanere vellet, nullo modo acquieuit.In Italiam reuersus, Philippum Ducem Mediolanensem cũ Pandulpho Malatesta amicitiæ fœdere religauit, ac deinde cum Venetis. Brachium Mantuanum excõmunicauit, qui plurima patrimonij Ecclesiæ loca occupauerat. Verum is postea sanis Florentinorum persuasionibus inductus,sese humiliauit,ac proinde per Pontificem in gratiam receptus est, suaque opera & industria,Ecclesiæ stipẽdijs militans, Bononiam recuperauit. Eodem tempore Martinus Bononiç existẽs,à Baltazaro Cossia, qui se Põtificem sub nomine Ioannis 22 vendicabat,salutandi,atque eidem se submittẽdi causa inuisitur. A Romanis reuocatus non ante redijt quam Florentiam Metropolitanam declarasset, Ecclesias Volteranam, Pistoriẽsem & Fresolensem, auxilij & subsidij loco eidem annectens. Romam veniens,tanta cum omnium lætitia & exultatione receptus est,vt is dies qui in decimũ Calendas Octobris incidebat,pro festo sit habitus. Exinde Vrbẽ ipsam quæ multis in locis ruinam minabatur,reparare aggressus est. Nouembri subsequente, Tyberis alueo suo egressus, tãtoperè excreuit, vt plurima damna Vrbi intulerit. Temporibus ijsdem, Romã superuenit Ludouicus Andegauensis,qui à Põtifice regno Neapolitano donatus est, non sine graui Alphonsi Arragonensis animi perturbatione: quia hãc ob

causam

cauſam Legatos ad Senenſe Concilium miſit, vt Petri de Luna cauſam promoueret. Cui machinationi Pontifex vt obuiaret, Cõcilium diſſolui curauit, aliudque poſt ſeptennium indixit. Quãtum potuit Bracchium afflixit, qui Eccleſiæ ſtatum interturbabat. Bohemos hæreticos qui Catholicos diuexabant, compeſcuit. Lucenſibus quos Florentini dura obſidione premebant, per Vicecomites opẽ ferri procurauit. His peractis aliquas Vrbis Eccleſias reparauit, Cardinaleſque creauit. Pacem cum Alphonſo cõpoſuit, qui poſt obitum Petri de Luna alium Antipapam eligi mandauerat. Sed eum exauctoratum Martinus Epiſcopatu auxit. Ad extremum vbi in collatione beneficiorum, alijſque omnibus ſuis actionibus, iudicium ſuum, prudentiam & integritatem manifeſtaſſet, 14. anno, & tertio ſui Pontificatus menſe, ætatis vero ſuæ anno 63 obijt. Eius mors omnibus bonis flebilis accidit. In Laterano ſepultus eſt. Sedes duodecim diebus vacauit.

EVGENIVS IIII. PONTIFEX 211. Anno 1431.

EVgenius quartus Venetus, Gabriel Condulmerius antea vocatus, ex Canonico in Alga à Gregorio duodecimo Cubicularius desumptus est. Postea ab eodem Episcopus Senensis, & tandē Cardinalis factus est. Quinto nonas Martij anno 1431. Martino mortuo ad Pontificatum vocatus, Eugenij quarti sibi nomē indidit. Cum Columnensibus graues ipsi altercationes intercesserunt, ob inobedientiam ei per Stephanum Columnam eius belli ducē exhibitam, qui Eugenij potentiam & indignationem veritus, cum quibusdam fœdus percutiens, armatus cōtra Pō-

tificem

tificem processit. Is tamẽ tùm à milite stipante, tum à populo, ab eorum insidijs fuit assertus, ac Columnæus fuga sibi consulere coactus. Acciderunt etiam ijsdem pene temporibus tumultus & variæ tragœdiæ excitatæ, quæ Pontificis ægritudine sopita sunt. Angelotum vna cum Francisco Camerario nepote suo Cardinalẽ creauit. Paulò post Sigismundus Imperator Romam appulsus, corona, cuius accipiendæ ergo venerat, ab ipso Põtifice honoratus est. Imperatore abeunte Eugenius per Nicolaum Fortibrachium, bellis infestatus est, qui ab eo certam solutionem postulabat: quin & à populo etiam, cui responsionem duriorem dederat, sibi cauendum ratus, mutato habitu sese clam Florentiam surripuit. Vbi cùm molestijs & tædio plenissimus commoraretur, Concilium Basilienſe inchoatũ est, iuxta Martini quinti præscriptum. quod vt impediret Bononiam transtulit: per Imperatorẽ tamẽ & alios Principes ibidem ad id negotij congregatos: ter citatus & admonitus, quod inceptum erat cõprobauit. Patriarcham Vitelescum Romam legauit, cuius industria & vigilantia, non parui momẽti plurimæ machinationes extinctæ sunt. Ob hæc proinde merita eũdem Cardinalẽ creauit. Inde vero Bononiam pertransiens arcem exædificauit, ac palatium reparauit. Anno subsequẽti Cõcilium à Basilea Ferrariam transtulit vnde inter ipsum, Imperatoremque & Principes Cisalpinos magni animorũ motus exorti sunt. Interea Cõ-

cilium Ferrariæ inchoatur, quod ob grassantem Epydimiam abrumpi, & Florentiam transferri oportuit. Eò Græcorum Imperator, cum plerisque alijs, viuis rationibus conuicti sunt, ac spiritum sanctum ex filio æquè atque ex patre procecedere, cõfiteri coacti. Purgatorium esse, Eucharistiã ex azymo pane confici, & consecrati oportere, Episcopum Romanũ, in terris Christi Saluatoris esse vicarium, & vniuersalis Ecclesiæ caput. Interea Basileę Vicecomite procurante, Antipapa Amedeus creatus est, qui quõdam Sabaudiæ Dux vocabatur. Tandem post multas bellorum perturbationumq; vicissitudines, Romã rediens Nicolaum Tolentinatem Ordinis Sancti Augustini religiosum in Sanctorum numerum retulit. His ita peractis, septimo calendas Martij anni 1446. Pontificatus sui anno 16 ætatis verò suæ 64 mortuus est. Post eius mortẽ, Sedes duodecim diebus vacauit. Aspectu fuit venerabilis, alloquio grauis, historiarũ peritus. Virorum literatorum fuit amantissimus, proinde Poggium, Aretinum, Aurispam, Trapezuntium, Blandum rarę eruditionis viros, suos Secretarios fecit. Cõtumelias sibi scripto vel verbo illatas parui pendit. Plurima silẽtio quæ in eius laudem dici possent inuoluimus.

NICO-

NICOLAVS V. PONTIFEX 212. Anno 1447.

NIcolaus quintᵘˢ, Thomas Sarzanus antea vocatus, medici cuiusdã filius, pridie Nonas Martias electus anno 1447. ea quà erat modestia, Cardinales rogauit, vt ad electionẽ alterius magis idonei procederẽt. Is beneficiorum memor quæ à Cardinale Nicolao Albergatõ ac cœperat, adolescens eiusdem nomen sibi assumpsit. Tunc tẽporis tota Italia armis deflagrabat, quæ vt extingueret, accepta corona processiones per Vrbem mox instituit, quibus ipse pedes interfuit. Plures Legatos in diuersas regiones, sepius sine vllo effectu emisit. Ad extremum, post diuersos

& periculosos bellorum tumultus, pacem inter Regē Alphonsum, Venetos, Florentinos, Zforziam, & quoscumque alios composuit. Soli Genuenses cùm Alphonso inimicitias retinuerunt. Interuentu & procuratione Imperatoris Federici, Fœlix Antipapa magistratui renunciauit: quē idcirco Cardinalem & Legatū Germaniæ creauit. Annum Iubilæum in 1450. incidentem celebrauit. In eo autem tanta hominum affluentia Romæ est reperta, vt vno dierū cuiusdam Cardinalis mulus exterritus: tantum in populo impetum concitauit, vt ducentos homines & tres equos, in Castelli ponte compresserit. Nicolaus in tāta multitudine, pro paterna sollicitudine, de rebus omnibus ad victum necessarijs prouidit. Intelligēs Imperatorem Federicum cum vxore anno sequēti venturum, prout fecit, mœnia Vrbis reparauit. Accepta Federicus Imperij corona, pacificè in Germaniam reuersus est. Coniuratione contra Pontificem prodita, & deprehēsa, eius author & coriphæus Stephanus Porcarius cum quibusdam complicibus capti, laqueo vitam finierunt. Constantinopoli à Turcis obsessæ omnimodo succurrere studuit: ea tamen proposita conditione, vt ad fidem Catholicam, quemadmodum se facturos receperāt, redirent. Turcis nihilominus potentia & armis prævalētibus, Vrbs ipsa totumque Imperium in hostium manus deuenerunt. Vnde Pontifex tantum doloris sensum contraxit, vt in febrim inciderit,

quæ

quæ podragris, quibus mirum in modum vexabatur admixta, ipsi mortẽ intulit, anno Domini 1455. Pontificatus vero sui octauo. In Sancto Petro sepulturæ honorem consecutus est. Dum viueret in omnes, præsertim vero doctos liberalissimus fuit, quos muneribus & beneficijs ad exercenda ingenia excitabat. Per totam Europam literatos viros misit, qui authores deperditos requirerent. Eorum opera, Quintilianus, Marcus Celius, Appicius, Porphyrion Horatij commentator, recuperati sunt. Multas Basilicas refarsit: ædificia magni momenti plurima extruxit: adeoque bene & sanctè gessit, vt cùm omnibus qui eum antecesserunt Pontificibus, merito cõparari possit. Magnas eleëmosynas distribuit præcipuè nobilibus ad paupertatẽ redactis: plurimas virgines dote ex proprijs auctas, matrimonio collocauit. Officia vel beneficia nunquam vendidit; Imò, vt erat religiosus iustus, clemens & pacificus, liberalissimum se præstitit. Leui negotio ad iram prouocabatur: verum eadem facilitate ad se rediens mitescebat: vnde fiebat vt eæ animi cõmotiones tanquam parui næui in tanto perfectionum fulgore.

CALIXTVS III. PONTIFEX 213. Anno 1455.

CAlixtus tertius primò Alphõſus Borgia vocatus, Hiſpanus Valentinus, vtriuſque iuris cum eſſet doctiſsimus, Secretarius & Cõſiliarius Regis Alphonſi primi aſſumptus eſt. Cum vero de pace & cõcordia inter Pontificẽ, Eugenium, & Alphonſium Regẽ tractaretur: in ea re omne ſtudium & diligentiam ſuam interpoſuit: galerum tamen Cardinalitiũ ſibi ab Eugenio oblatũ, non prius acceptare voluit, quam negotium ſibi demandatum confectum eſſet. Eo peracto, ſub titulo ſanctorum quatuor Coronatorum accepit. Ad extremum ſexto idus Octobris, anni 1450

ni 1450 Pontifex creatus est, nomenque Calixti tertij accepit. Mox bellum contra Turcas publicauit, cuius rei faciendæ ante adeptum Pontificatum votum ediderat. Proinde in omnem Europam prædicatores in hunc finem immisit, qui fideles ad eam militiam incitarent. Ipse Pontifex sedecim armatas triremes cum copijs auxiliaribus, sibi ex omni parte missis, Patriarcha Aquileensi præfecto, qui Asianorum maritima hostiliter infestarent. Romæ discordiam inter Vrsinos, Comitem Auersum, & Columnēses accensam, sua diligentia restinxit. Sanctum Vincētium Hispanum, & Egmundum Anglum, inter sanctos retulit. Palambaram quæ ad defectionē cōuersa Ecclesiæ se tradiderat, legitimo eius Domino, Sabello restituit. Cometa horribili apparente, processiones generales instituit, quo diuina vindicta auerteretur. Eiusdem institutū fuit, vt meridiè campanarum pulsu, populus ad orandum pro ijs qui contra Turcam pugnabant, inuitaretur. Senenses à Picennino hostiliter oppressos liberauit. Rebus Italiæ aliquo modo mitigatis, nouem Cardinales creauit, ex quibus duo ex sorore nepotes erant, & Aeneas Picolhomineus, qui eidem in Pōtificatu successit. Alphōso vero nullis hęredibus legitimis relictis, mortem oppetente, ipse Calixtus tātum animo valuit, vt regnum ipsum tanquam ipso iure, Ecclesiæ deuolutum & cessum, repetere ansus sit: Vnde non paruam difficultatē mouit, quæ Pontifice mortuo

tuo omnino ſopita eſt: is enim tertio Pontificatus ſui anno, die vero ſexto, mortuus, eſt corpuſque eius ad S. Mariam vulgo Febrium vocatam, deportatum eſt. Annos octoginta vixit. Suo tẽpore, arctiſsimam amicitiam, neceſsitudinẽque cum regibus Perſarum, Armeniæ, Tartariæque contraxit, quos ad bellum Turcis inferendum incitauit, à quibus etiã legationes habuit. In diſtribuẽdis eleẽmoſynis liberaliſsimus fuit. Multos nobiles ad inopiam redactos proprijs facultatibus ſuſtentabat. In victu frugalitatem, in ſermone modeſtiam ſeruabat. Omnibus dum bene valebat, facilem acceſſum præbebat. Tantopere autem integritatẽ amauit, vt nec Epiſcopus, nec Cardinalis vnquam aliud beneficiũ ex alicuius fauore, aut ſubſidij vice, acceptare voluerit. Eccleſiam ſanctæ Priſcæ reparauit, mœniaque Vrbis reſarſit. Nullis vero adeò grauibus curis diſtrahi potuit, vt à ſtudijs animum ſubduxerit. Officium transfigurationis ipſe compoſuit, atque eadẽ ratione qua ſolennitas Corporis Chriſti celebrari voluit. Quod vero ab Alphõſo Rege alienior, ab ipſo diſsideret, inde proueniebat, quod Epiſcopatus indignis cõferri ſollicitaret.

PIVS

PIVS II. PONTIFEX 214. Anno 1458.

DEcimo tertio Calendas Septembris, communi omnium consensu, Pius Pōtifex electus fuit, prius Aeneas Syluius vocatus, ex Picolhomineorum Senensium familia originem ducens. In iuuentute studijs liberalibus addictus, in Poëtam doctissimum euasit: versusque Latina & Etrusca lingua composuit, ac tandē Oratoris clarissimi nomen consecutus est. Ob varia ingenij præclaraque edita specimina, in Concilio Basilienſi, magno & honorifico loco habitus est, cuius etiā nomine octo Legationes, diuersis de causis obiuit. Hoc oratoris munere apud Cæsarem

Cęsarem dum fungitur magnam iniuit gratiam: adeò vt ab eodem lauream coronam sit consecutus, ac in Secretarium ascitus, quo & ad varias legationes Cæsar vsus est. Ipsius verò Imperatoris mandato nouem legationes, in magni momẽti negotijs obiuit. Calixtus ea qua ipsum prosequebatur beneuolentia, Cardinalem creauit, quem etiam in Pontificatu subsecutus est. Bellũ in Vmbria grauissimũ Picennini procuratione excitatum, ipse sopiuit, Assisium & Nuceriam recuperauit. Mantuæ conuentum indixit, in quo plures Principes & Legati, aderant inter quos de bello Turcis inferendo delibratum & conclusium fuit. Romam reuersus Viterbium recepit. Ab Ecclesię ditione quosdam tyrannos expulit. Neapolitani regni donationẽ Ferdinãdo factã, ipse approbauit, & ad eũdem, Cardinalem Vrsinum, qui ei Imperij coronã imponeret misit: illũque amissa apud Sarnum victoria penè desperatum, suis copijs adiuuit: quo præclaro ac singulari officio Coronã ipsi sartã tectamq; seruauit. Cęsuris armisq; Sigismũdi Malatestæ vires & insolentiã compescuit. Fædus cum Hungariæ Rege, Burgũdiæ Duce & Venetis ad expeditionem Orientalem prosequendam pepigit, in qua se totum per diuersa loca circũeundo impendit. Bohemiæ Regẽ citari fecit Archiepiscopũ Moguntinũ priuauit, quod peruesẽ de fide sentiret. Excõmunicauit quoque Sigismundum Austriæ Ducem, qui Cardinalẽ quẽdã in vincula coniectum

ctum detinebat. Ludouici Gallorum Regis machinationi sese opposuit, qui libertatem Ecclesiasticam imminuere conabatur. Borsio Mutinēsi Duci, qui rebus Gallicis fauebat, minas addidit, & Sigismundo Malatestæ, qui Ecclesiam persequebatur. Affinitatem & amicitiam cum Rege Ferdinando contraxit. Sanctam Catharinam Senensem inter Diuos retulit. Duodecim Cardinales creauit. Plurima ædificia Romæ, Senis, & alibi extruxit. Cousmianum ciuitatē exædificauit, quam de suo nomine Pientiam vocauit. Annos 58. & decem menses, minus duobus diebus vixit. Ad extremum, anno Pontificatus sexto, diebus sex minus, decimo quarto Calēdas Septembris, anno 1464. febri Auconæ mortuus est, vnde Romam corpus eius translatum est, & in S. Petro sepultum. Præclara opera ipse cōposuit, plurima in dialogorum formam redegit, plures epistolas & orationes ad multos porrectas descripsit. Historiā Bohemiæ, duodecim libros diuersorum Epigrammatū cōtexuit, versus sine numero edidit. Grammaticorum præcepta iuueni Ladislao Hungariæ Regi dedicauit. Innumera penè ea sunt quę de ipsius laudibus per Platinam commemorantur. Vnum illud sub silentio præteriri non debet, quod æqua animi facilitate omnibus parcebat, neminemque vnquam corripuit, qui eum maledictis lacessiuisset.

PAV-

PAVLVS II. PONTIFEX 215. Anno 1464.

PAulus secundus nobilis Venetus, cui nomen Petrus Barbus prius fuit, Pontificis Eugenij ex sorore nepos, per quem etiam ex humiliore statu ad Cardinalitium statũ pro motus fuerat: pridie Calendas Septembris anni 1464 Põtifex electus est. Inito Pontificatu destituit omnes officiarios à Pio institutos, (ex quibus erat Platina) qui ex eo quod audaciori animo, eius seueritati oblocutus fuisset, in vincula coniectus est. Idem Pontifex, Canonicos sancti Ioannis Lateranensis per Eugenium ordinatos, & ab vno Calixto dignitate deiectos, in pristinum statum restituit.

Chri-

Christianos Principes Legationibus missis ad arma in Turcas capessẽda frustra adhortatus est. Illi enim tunc temporis Epirum occuparant & mox Illiricum ingredi parabant. Viribus & armis Ferdinandi Regis adiutus, Deiphobi & Frãciſci Comitis Auerſi potentiam & audaciam cõfregit, eoſque ceu Eccleſiæ aduerſarios nouem Caſtellis exuit. His peractis, inter eum & Regem graues natæ ſunt contentiones. Nam Ferdinandus, ob egregiam à ſe præſtitam Eccleſię operam, tributum quod debebat ſibi remitti poſtulabat. Epiſcopum Conchenſem Mediolanũ miſit, qui ſuis conſilijs & adhortationibus populum in officio, obſeruantia, ac debita fide erga Galeatium Franciſci Sfortię tũc demortui filium abſentem, retineret. Rhodiorum Magiſtrum Romam aduocauit, qui ibidẽ obijt. Vt vero rebus illius Inſulæ afflictis mederetur, eò Carolum Vrſinũ cũ ſummi magiſtri titulo & poteſtate miſit. Decem Cardinales creauit, & poſt plurima bella, aliquos in Italia potentes ſedauit. Exinde ad tranquillitatem conuerſus, Ludorum feſtos inſtituit populumque ad conniuium publicum inuitauit. Orta coniurationis ſuſpicione, plures quæſtionibus ſubijci curauit: in eorum numero ipſe Platina de quo ſupra, fuit. Imperatorem Federicum qui Romam voti reddendi cauſa venerat, magnificè & ſplendidè ſuſcepit. Idẽ quoque Borſio Eſtenſi præſtitit, quem Ferrariæ Ducem ad retundendã Georgij Bohemiæ Regis inſolentiam creauit,

eademque intentione Hũgarios & Alemannos excitauit, vt totam eius ſtirpẽ extingueret. Bellum Volphæ dominis edixit, quod tamẽ minus fœliciter ei ſucceſsit, proinde poſt longam contentionem, locum ipſum ſeptem & decem millibus Ducatorum aureorum coemit. Ad extremum Pontificatus ſui anno ſeptimo duobus mẽſibus minus apoplexia mortuus eſt, Anno 1471 quinto Calendas Auguſti. Cardinalibus rubrum habitum adiecit. In Sancto Marco & Vaticano præclara ædificia ædificauit. Plurimos Cardinales & Epiſcopos pauperes adiuuit. Viduis, Virginibus & infirmis opem & auxiliũ attulit. Margaritis, rebuſque pretioſis mirum in modũ delectabatur. Vir erat terricus ac moroſus, in criminoſos ſeuerus in domeſticos durus & aſper.

SIX-

SIXTVS IIII. PONTIFEX 216. Anno 1471.

SIxtus 4 Sanonenſis, ex illuſtri Ruuereorum progenie originem trahens, nomẽ Franciſci antea obtinuit. Ordinis Sancti Franciſci magiſter Generalis fuit magnam in dicendo energiã, ſingularemque doctrinam habuit. Hãc ob cauſam per Paulum ſecundũ Cardinalis creatus eſt. Eo mortuo, quinto Idus Auguſti, anno 1471, ad Sedem Apoſtolicam adminiſtrãdam aſſumptus eſt. Quatuor Cardinales Legatos ſelegit, quorũ vnum Franciæ, alterum Hungariæ, tertium, Arragoniæ Regibus miſit, quos ad ineundam pacẽ hortaretur, quartũ vero æquoreo exercitui cõ-

tra Turcas præfecit, ictis prius cũ Venetis & Rege Ferdinando fœderibus, licet nihil ab hoc nec ab illis effici potuerit. Vt quosdam Tyrannos in Vmbria comprimeret, auxiliaribus Ferdinandi copijs adiutus, exercitum cõscripsit, cuius administratorem & directorem Federicum à felici Monte constituit, eumque ex Comite, Ducem Vrbinatium declarauit. Nepotem suum Iulianũ Legatum creauit. Pactijs contra Laurentium & Iulianum Mediceos præsidio fuit. Cum Venetis Viribus iunctis, belli Ducem Malatestam deligens, Calabriæ Ducem prælio fudit. Cõuentione quoque cũ Neapolitano Rege inita, Columnenses prosecutus, eos afflixit. Venetos postea, à quorum societate & amicitia resilierat, interdixit, omnibusq; Potẽtatibus sibi deuinctis, cõtra eos cõfœderationem sanxit. Andream Paleologum. Albaniæ Dominum, Cypri, Bosinæque Reginas auitis domicilijs, Turcica oppressione deiectos, Romam venientes honorificentissimè excepit. Idem humanitatis officium Christierno Daniæ, & Ferdinando Regibus, necnõ Calabriæ Saxonumq; Ducibus, ad Vrbem deuotionis ergo peregrinantibus præstitit. Annuũ porro censum Ferdinando remisit, hac sola conditione retenta; vt quotannis equum phaleratum offerret. Non minorem eius beneuolentiam Leonora Ferdinandi filia iam nuptura, experta est. Bonauenturam in Sãctorum numerum retulit. Conceptionis, B. Virginis, Præsentationis Sãctæ

Annæ,

Annæ, SS. Iosephi & Frãciſci dies feſtos celebrari officio præcepit. Annum Iubileum ad viginti quinque annos contraxit. Vrbem Romanã plurimis, iiſque præclaris ædificijs exornari: plateas vicoſque lateribus inſterni; amouerique ea omnia quæ humiditatem, aut obſcuritatẽ inducere videbantur, curauit. Aquas Virgines dictas, reduxit. In Vaticano bibliothecã toto orbe celeberrimam erexit. Status Eccleſiaſtici propugnatorem acerrimum ſeſe exhibuit. Animi generoſi liberalis, & magni fuit: erga ſuos vero adeò propenſi, vt ex illis magnam partem Cardinalitia dignitate inueſtierit, alios ſublimioribus gradibus auxerit. Primus inter Pontifices fuiſſe fertur, à quò officia & dignitates in curia Romana veniére. Plurima quoque, ex quibus pecunias cõflaret, recenter excogitauit. Opuſcula quædam compoſuit, quæ doctorum manibus lecta & frequentiſsimè trita ſunt. Podagris vexatus, idibus Auguſti tandem mortem obijt, Pontificatus ſui ſupra quartum diem. anno decimo tertio: ætatis vero ſuæ 70. In Sancto Petro ſepulturã habuit. Eius morte Sedes 16. diebus vacauit.

INNOCENTIVS VIII. PONTIFEX 217. Anno 1484.

INnocentius 8 Genuensis, ex illustri Ciborum Prosapia, ante Pontificatum Ioannes Baptista vocatus est, Aaronis Neapolitani pro Regis, ac deinceps Romani Senatoris filius. Opera & fauore Sixti 4., Cardinalis creatus est: quo mortuo in eius locum 4 Calendas Septēbris, anno 1484 suffectus est. Qui cum sua naturali propensione humanissimus esset, ad gradum adeo sublimem promotus, mores quibus antea excultus erat, nullo pacto deseruit, aut mutauit. Venetos ab Interdicto absoluit. Assiduis Legationibus Principes Christianos ad concordiam adhortatus est, & vt in Tur-

in Turcas arma sua conuerterẽt, animauit. Iudicibus suis vt æqua lance omnia iudicarẽt strictissimè mandauit. Imperatoris Federici precibus flexus Leupoldum Austriæ Ducem miraculis illustrem, inter diuos retulit. Exorto inter Ferdinandum Regem & se propter annuum censum iurgio. Nobiles regni in suam cliẽtelam recepit & protectionem, ac illos ab obedientia & solenni iuramẽto liberos fecit, Regemque ipsum regno exuit: Ferdinandi tamẽ Regis armis atque potentia territus (qui Florẽtinorum copijs, Ducisque Mediolanensis viribus innitebatur) cum eo in gratiam redijt. Eiusmodi belli tumultibus & impedimentis solutum se animaduertẽs, omnem animi cogitationem ad regimen & studia Vrbis conuertit: proinde Columnenses cũ Vrsinis reconciliauit. Marganiosque cum Sanctacrucijs, bellis exitialibus dissidentes, pacis fœdere reuinxit. Vrbem latronibus purgauit, in eorumque capita seueriſsimè animaduertit. Eodẽ pror sus modo officiarios quosdam falsarios, publicè puniri voluit. Vrbi de rebus necessarijs maxima cura prouidit. Ducis Mediolanensis ope subnixus Bucalinum Tyrannum Anxinũ subiugauit. Octo Cardinales creauit, omnes grauiſsimos & maximæ æstimationis viros. Porticus Palatij Beluedere dicti ædificauit. Lateranẽsis Basilicæ absidam, S. Mariæ Diaconiã via lata erexit. Particulam ligni Sanctæ Crucis reperit; ipsemet à Turca ferrum Lãceæ per quod Christi Saluatoris no-

ris noſtri latus perfoſſum eſt, dono accepit. Innocẽtius proceri corporis, & coloris cãdidi fuit, ægritudine aſsidua conflictatus eſt, vnde antequam è viuis excederet, in deliquium animi incidens 20 horis ſine vllo arteriarum motu immobilis permanſit. Poſt duos annos eodẽ morbo correptus animam Deo, octauo Calẽdas Auguſti reddidit, Anno ſalutis 1492, hora noctis quinta. In Sancto Petro cum maioribus ſepultus eſt. Pontificatus ſui anno ſeptimo, menſe decimo, die 27. Eius morte Sedes 16. diebus vacauit.

ALEX-

ALEXANDER VI. PONTIFEX 218. Anno 1492.

NIhil ab hoc Pontifice, quo vel ſuis maioribus, aut tam ſublimi dignitati, vel denique ſuo nomini reſpõderet, geſtum eſt. Nam ſpiritu bellico ductus detrimẽtis, aliorum ſua commoda ſtabilire annixus eſt. Hic Valentiæ in Hiſpania nobili familia Lenzolia ortus eſt: licet vendicaret ſibi nomẽ Borgiæ, in memoriá auunculi ſui Caliſti: à quo omnino adhuc adoleſcẽs, Epiſcopus Valentinus creatus fuerat, ex quo ad Cardinalatum adſcẽdit, ac tãdem Vicecancellarius declaratus. Demũ tertio idus Auguſti, anno 1492 quorundam Cardinalium conſpiratione, quos

pollicitationibus in suam sentẽtiam pellexerat, in Pontificem electus est. Põtificatus initio carcerum visitatores instituit, qui eos perpetuò circumirent, nonnullaque alia opera laudabilia edidit. In primo cõuentu quem habuit, suum ex sorore Nepotem Cardinalem instituit, eumque Neapolim, vt Alphonso secundo coronam imponeret, legauit. Cum Carolo octauo Gallorum Rege qui prædictum regnũ Neapolitanũ occupaturus veniebat Alexander, confœderationem, metu perculsus inijt. Paulò post, contra eundem cum alijs Principibns fœdus percussit. Post huius belli expeditionem, aliam confederationem, cũ Ludouico Rege Catholico, Venetis & Florentinis contra Ludouicum Sfortiam & Federicum Regem Neapolitanum confirmauit. Anno 1500 Iubilæum celebrauit. Pontificatu suo durante 53 Cardinales creauit; ex quibus 18 natione Hispani fuerunt. Verum ne sigillatim omnia eius facta referamus. Vnum solum adijciam, quod de Borgia eius notho, Historiæ narrant. Hic repudiata vxore Episcopus Valentinus factus est. Deinde Cardinalis ac tandem Ducatum Valentiæ obtinuit. Regno autem Italico inhians, nullum crudelitatis, sceleriſque genus omisit, quod non exercuerit Nobilissimas quasque familias, aut aperto marte, aut alio modo exterminare conatus est, vt ijs extinctis eorum bona degluberet. His omnibus facinoribus non solum consentiebat parens, verum etiam omnibus neruis, eius conatus

conatus promouere ſtudebat: filium enim ſuum ad omnia ſumma prouectũ cupiebat, ſed vt ſunt incerti rerum omniũ euentus, extructo ad vmbroſum Vaticani ruris fontem quem Beluedere vocant conuiuio, Cardinalium præcipuos è medio tollere inſtituit, vt eorũ bonis frueretur, præparato ad eam rem perficiendã intoxicato vino, vnde incanto Pincernæ errore, qui medicatam Falerni vini lagenam cõmutauit, Pater & filius fatali calamitate puniti fuerunt, quanquã Valentinus, adhuc iuuenis, ac proinde firmioris roboris, quæſito adhibitoque antidoto contra veneni vim præualuit. Pater vero annis grauatus 72 ſcilicet, veneni efficaciam euincere minime potuit, ac proinde 15 Calẽdas Septembris, anno ſalutis 1503. Põtificatus vero ſui 11, die 8 migrauit. Corpus eius in vili abiectoque ſacello apud S. Petrum conditum eſt, hoc vnum libere affirmari liberè poteſt, nũquam Romanam ciuitatẽ vſque adeo graſſationibus & latrocinijs abũdaſſe, quẽadmodum hoc Pontifice viuente oppreſſam ſe ſenſit. Vt vero vitam barbaram & diſsimilem Pio ſecundo. Eugenio 4, alijſque honeſtiſsimis Pontificibus ducebat, ſic etiam magnum numerum exploratorum, delatorumque alebat. Suſpicionibus plenus & ſibi male conſcius eos morte afficiebat, qui quicquam contra ſe licet minimum effutiuiſſent. Vitiorum quibus cõtaminatus fuit & donorum ſibi à Deo conceſſorum hiſtoriæ plenæ ſunt.

PIVS

PIVS III. PONTIFEX 219. Anno 1503.

DVx Valentinus qui mortem euaserat, vniuersum terrarum orbem, vt videbatur, vexaturus, 12 militum millibus quos secũ habebat, Cardinalium collegium circumdedit, vt eorum vota in suam sententiam pertraheret. Populo tamen sese interponente, & intercedentibus Hispaniæ & Frãciæ Oratoribus, ipse Valentinus cũ suis copijs Romam deseruit. Proinde omnium Cardinalium suffragijs, 10 Calẽdas Octobris, anno 1503. Franciscus Picolhomineus Põtifex renunciatus est, qui optima auunculi sui recordatione stimulatus, Pij 3. nomen sibi assumpsit, ijsdemque

demque cum auunculo insignijs & cognomine vsus est. Ipsi creato Pontifici, Valentinus pedes exosculatus est; quem Vrsini persequentes, cum aliquantula, tam ex vna quam ex altera parte sanguinis effusione, captus atque in Hadriani arcem deductus est. Verũ vnoquoque optima sibi de Pontificis virtutibus & bonitate proponente, ex vulnere in pede accepto, non sine veneni suspicione 15 Calendas Nouẽbris, annos natus 64. 26 sui Põtificatus die, morte sublatus est, ac apud auunculum suum sepultus.

IV.

IVLIVS II. PONTIFEX 220. Anno 1503.

IVlius secundus, antea Iulianus vocatus, patria Sauonensis, Sixti Papæ 4. fratre natus, ex familia Rouereorum, ex Episcopo Carpentoratensi S. Petri ad Vincula Cardinalis Præsbyter factus est. Mortuo pio Calendis Nouembris à 37. Cardinalibus Pontifex electus est. Valentinum ea conditione relaxauit, vt arces Cessenæ & Fortiliuij restitueret. Filiam vnam Ioãni Iordano Vrsino in Vxorem dedit; aliam vero Marco Antonio ex sorore neptem desponsauit. Cum iam ad restituendum statũ Ecclesiasticum, animum conuertisset. Bononia Ioãnem Bentiuolũ eius

eius tyrannum eiecit. Fœdere cum Principibus Christianis percusso, contra Venetos arma mouit: quos non modo excõmunicauit sed & grauissimis prælijs fudit, pluribusque præsidijs nudauit. Successu temporis, calamitatis eorum & afflictæ cõditionis misertus, eosdem absoluit ac cum ijs adhibitis conditionibus fœdus percussit. Contra Ducem Ferrarienſem commotus, quod Salinas occupatas teneret, eum excõmunicationi innodauit exercituque contra eundẽ missо profligauit, mutinam ex ipsius potestate, sua præsentia cœpit. Mirandulam, Gallicis præsidijs munitam expugnauit. Exinde Rex Ludouicus, Ducis partibus addictus Pontificem ad Conciliũ Pisis congregandum citat. Quod vt declinaret, Romæ apud Lateranum aliud generale indixit: in quo & Regem ipsum & Florentinos grauissimè excommunicauit, qui Vrbem Pisanam Concilio prætenso delegerant. In hac rerum perturbatione, Legatos ad Reges Catholicũ & Angliæ, auxilium regalum contra Franciæ Regẽ misit, vnde grauissimum bellum exarsit, quod crudelissima apud Rauennam edita strage terminatũ est. Vltimo demum Venetorum & Heluetiorum fretus auxilijs, Francos ex Italiæ finibus eiecit. Maxilianumque Sfortiam in Ducatum Mediolanẽsem restituit, Breui temporis curriculo interiecto Bononiam à Bentiuolis occupatam. Rauennam & alia loca recuperauit. Florentiæ Mediceorũ familiã sibi semper adhærẽtem restituit.

Contra

Contra Venetos denuo fœdus inijt, quod Veronam & Vicentiam Imperatori cedere impedijssent. Verum multis & grauibus fractus laboribus, 9 Calendas Martij febricula correptus in morbum incidit, anno 1513. vnde ætatis suæ anno 70, è viuis excesit, postquam Pontificatum 9 annis, quatuor mẽsibus, exceptis 5 diebus administrasset. Apud S. Petrum in Auunculi sui sacello cõditus fuit. Sedes 18 diebus vacauit. Quod ad Iulium attinet, magnanimus Ecclesiastici honoris defensor fuit, adeo vt nulli prædecessorum cesserit, proinde à quibusdam nimium bellis addictus iudicatus est. Quosdam ex suis quantũ potuit, promouit, moderamine tamẽ hoc seruato, vt nihil Ecclesiæ vtilitati derogauerit. Diuersis vicibus 28 Cardinales creauit, ex quibus quatuor solummodo ipsi affines aut cõsanguinei fuerũt. Vt taceã ædificia quibus Vrbem exornauit: picturæ sculpturæque exquisitissimæ, eius inuicti animi significationem manifestissimam faciũt.

LEO

LEO X. PONTI-

EEX 221. Anno 1513.

LEo 10. Florentiæ Laurentio Medicis & Claricen Vrſina, clariſsimis parentibus natus, Ioānis nomine primùm fuit inſcriptus. Adoleſcentiam in honeſto bonarum literarū ſtudio, lingua Latina & Græca, Muſica quoque gloriose exercuit. Annum 13. ætatis ingreſſus ab Innocentio VIII. ad Cardinalitiam dignitatem fuit prouectus: vnde & ob ætatis defectum diu ab vrbe abeſſe eum oportuit. Carolo 8. Galloram Rege, ad expeditionem regni Neapolitani proficiſcente nouercantis fortunæ acerbum telum ſenſit, dum medicæis om-

nibus patria expulsis, aliquot annos sedibus incertis vagari debuit, nec vllo fere loco consistere potuit duas legationes, alteram in Hetruria, alteram Bononiæ obiuit. Post Iulij II. obitum, anno 1513. 5. Idus Martij trium & viginti Cardinalium suffragijs ad D. Petri sedem sublimatus est, & 14. Aprilis sacra thyara redimitus. Europam grauissimis dissidijs diuisam, & crudelissimis bellis laceratam cùm videret mox per Legatos suos ad vnionem & pacem Christianos principes adducere tentauit. Quod cò studiosius curauit, vt firmo pacis fœdere reuincti in iuratum Christiani nominis hostem Turcam armarentur: Maximilianũ Sfortium in Ducatu Mediolanensi confirmauit. Heluetijs qui Ecclesiæ paulò antè meruerãt, stipendia liberaliter persoluit. Cardinales, quos Iulius anteceſſor exauctorauerat, in integrum restituit. Concilium quod in Laterano pridem fuerat inchoatum, prosecutus est, & ad exitum perduxit. Mutinã à Maximiliano Cæsare triginta aureorum millibus sibi coemit. Decertantes cum Cæsare Venetos de Veronæ & Vicentiæ imperio, ad pacem sub æquis conditionibus summa cura tentauit adducere. Franciscum Valesium ex victoria in Ducatu Mediolanensi elatum, & insolentem pertimescens, pacis cõditiones per Legatum Veronensem illi proposuit; Bononiam deinde profectus cum eodem pacem pepigit; Laurentium Medicem

Medices, ex fratre nepotem Florentiæ regimini præfecit, &(vt dominãdi libido inexplebilis est) Vrbinatium ducem instituit, submoto Francisco Maria Rouero, quæsitis & ad eam rẽ fabricatis parum æquis rationibus. Borgesium & Cardinalem eius fratrem Petruccios eiecit, eiusque ciuitatis principatum in Raphaelem Petruccium, sui quondam exilj socium transtulit. Idem contra Alphonsum Ferrariæ Ducem, tametsi vano conatu molitus est. Sopitis tumultibus, Principum animis ad pacem temperatis, pace Italiæ reddita, anno Domini 1517. cùm aurea sæcula quasi postliminio reditura sibi pollicerétur homines, grauissima de repente tempestas vniuersæ Ecclesiæ statum perturbauit. Nam Martinus Lutherus apostata Portensis hæreses superioribus sæculis damnatas & explosas in vulgus spargere & docere cepit. Solymus Turcarum Imperator post occupata potẽtissima Aegypti & Syriæ regna, in Occidentis imperiũ arma conuertit. Ob id Leo publicas indictas supplicationes nudis pedibus obiens, Dei opem præsentissimam periclitanti Ecclesiæ implorauit & impetrauit. Nam Solymus naturæ debitum soluit, resque Christianorũ tutiore loco fuerũt cõstitutę. In Borgesium, Cardinalemque Petruccium coniurationis prætensæ auctores, cæterosque eius consilij reos vel conscios seuerè Pontifex animaduertit, alios enim capitali pœna

puniuit,quosdam ordine senatorio submouit. Porrò vt numerũ Purpuratorum patrum impleret, triginta Cardinales vna vice creauit. Maximiliano Imperatore defuncto,& Carolo V.Hispaniæ rege Imperij gubernacula capessente,dispẽsauit septẽ millibus aureorũ receptis,super lege quę Reges Neapolitanos Imperij aditu prohibet.Carolo Cęsari fœdere coniunctus Gallos Italia exegit. Parmã & Placentiam Ecclesiæ recuperauit. Cuius cõceptam de gloriosa victoria lætitiam interrupit febris lenta quidem,sed quæ illi interitum nõ sine veneni suspicione attulit 4.nonas Decemb.1521. ætatis eius anno 45.mẽse 11. die 21. Pontificatus verò anno 8.mẽse 8.die 20. Sepultus est apud S.Petrũ,vacauitq; sedes 37.diebus.Paulò antè mortem S. Franciscum de Paula fratrum minorũ fundatorem, ad preces regis Francię in album sanctorum retulit.Fuit Leo mansueto & suaui ingenio,vir acutus,iustitię studiosissimus,religiosus prudẽs,doctis viris & Musicis addictus, quos etiam stipẽdijs & pręmijs liberaliter sibi deuinciebat.Romanis vectigal salis imminuit; vrbem elegãtibus ædificijs exornauit;Conseruatorũ potestatẽ amplificauit,propter quæ publico ære,& communi decreto S.P.Q.R. statua marmorea in Capitolio illi merito dedicata est.Excellẽtes tamen animi dotes nõ nihil obnubilasse putatur,quod ad voluptates,venationes,auceps,cõuiuia,musicem q; effusior esset, quã tanta maiestas pateretur. ADRIA-

ADRIANVS VI. PONTIFEX 222. Anno 1522.

TRaiectum inferioris Germaniæ ad Belgicum Oceanum vrbs Adrianũ 6.tenuis quidé honestæ tamen fortunæ parentibus editum tulit. Qui cùm ad excolẽdum ingeniũ ad bonas artes aptũ & propensum nihil suppeteret, Louanij in pedagogio Porci susceptus, & precario nutritus,in Philosophicis,Mathematicis, Theologicis, & in Pontificio iure maximos fecit progressus,ad optima sacerdotia successiuis quasi gradibus ascendit, ac tandem

Carolo Quinto Imperatoris Maximiliani nepoti præceptor traditur: inde à Ferdinando Rege Hiſpaniæ Derthuſenſis Epiſcopus nominatus eſt; poſt Maximiliani Cæſaris commendationem inſulis Cardinalitijs à Leone 10. exornatus eſt. Carolo Quinto ad imperij faſtigium euecto, reſque Germaniæ moderante, adminiſtrandæ Hiſpaniæ præficitur, Leone è viuis exempto abſens deligitur, qui nauis Eccleſiæ clauo admoueatur 5. Idus Ianuarij, anno 1522. Is nuncio accepto, ſine mora Genuam adnauigauit, vbi ab optimatibus Galliæ viſitatus & ſalutatus fuit: Inde Lyburnum deuectus à Cardinali Mediceo, aliquotque eius ordinis patribus, ac Franciſco Gonzaga Cæſarij exercitus Duce, magno cum honore exceptus fuit. Poſt ad ciuitatem veterem ſecunda nauigatione peruenit, vbi Cardinales Vrſini & Columna à ſenatu Patrum miſſi ſub vmbella exceptum, ad templum eum deduxerunt. Auguſti penultima Romam appulſus in Valicanum deductus eſt, dieque ſequenti coronatus. Is tametſi magno iuuandæ Reipub. Chriſtianæ deſiderio teneretur, magnoque conatu in id incumberet, multa tamen præpoſterè eò quod Italicarum rerum imperitus, ex alieno magis quàm ſuo arbitratu decernebat & factitabat Sigiſmundum Malateſtam Ducum Ferrariæ & Vrbini fretus auxilijs Arimino eiecit. Multa Iulij & Leonis contra

tra iam dictos principes decreta rescidit, Cardinalem Soderinum Gallicæ factionis studiosum, ob interceptas quasdam literas, in Adriani molem coniecit, Rhodum tertium iam mensem grauissima obsidione periclitantem, cùm resciuisset, omnes curas & cogitationes in hoc conuertit, vt illi succurreretur. Verùm turbato tum rerum statu, ærario profuso infœlici exitu obsidio terminata est. Multa quidem; vti erat ardenti zelo accensus in Ecclesiæ vtilitatem præstiturus erat, si Godefridos, Tancredos, Balduinos, Robertos, ea ætas nacta fuisset. Ad clerum reformandum, corruptosque vrbis mores ingenij vires conuertit. Sanctum Anthonium Florentinorum, Antistitem & S. Bennonem Germanum in sanctorum cœtum aggregauit. Cùm intellexisset Franciæ Regem Franciscum in Italiam cum potenti exercitu aduentare, Pontifex Cæsaris partes fulsit, Anglis, Hungaris, Venetis, alijsque liberis Italiæ ciuitatibus in fœderis societatem adductis. Non ita post incidit in morbum, ex quo commendata Ecclesia & Christiana Repub. Cardinalibus, diem clausit extremum 8. Calen. Octobris, anno 1523. ætatis verò 64. mense 3. & die 13. Pontificatus eius mense 18. die 6. Eo defuncto, duos menses, dies 4. vacauit Pontificatus. In Sancto Petro sepultus est: Cuius sepulchro hoc elogium inscriptum est.

HADRIANVS VI. HIC SITVS EST, QVI NIHIL SIBI INFOELICIVS IN VITA QVAM QVOD IMPERARET DVXIT.

Habuit Adrianus quibus cum iura & consilia sua communicabat primarios, Guilielmú Enkeuort Episcopum Derthusensem, & Durarum, in quem & galerum Cardinalitium transtulit, & Theodoricum Hezium almæ Ecclesiæ Leodiensis olim Canonicum splendidissima lumina, & Ioannem Rufinum Episcopum Cosentinum.

CLE-

CLEMENS VII. PONTIFEX 223. Anno 1523.

CLEMENS, Iulius ante Pontificatum nũcupatus, Iuliani Medicei filius à Leone patruele primum Archiepiſcopus Florentinus, inde Diaconus Cardinalis. Sanctæ Mariæ in Dominica anno 1513. ac demum S.E.R. Camerarius inſtitutus eſt. Adriano deinde mortalitatis vinculis exempto, ſuffragantibus 38. Cardinalibus, anno 1523. 13. Cal. Decembris ſucceſſor datus eſt, & 6. Calen. eiuſdem inauguratus. Anno 1525. Iubileum veteri maiorum ſuorum inſtituto, ritu ſolenni celebrauit. Quo anno horrendi tumultus in Germania excitati

sunt à Rusticis phanatico hæreseos spiritu agitatis & dementatis. Post Borbonij à Gallis defectionem Clemens vires Cæsaris pertimescés, Venetos amicitiæ lege sibi deuinxit neutrius partes sibi sectandas esse ducés, quin verò inter se Carolum Cæsarẽ, & Franciscũ regẽ amicitiæ vinculo & pacis cõfœderãdos curauit. Capto tamẽ apud Ticinum Francisco, cõseruatus animo Põtifex ad Cæsaris partes sibi transeundum esse ratus, auri magna vi impensa fœdus antiquũ renouauit, hac adiecta lege, vt Regium sibi tederetur. Vana tamen spe delusus est Pontifex, hic fide Cæsari data, duris tametsi conditionibus soluens, noua & secreta cũ Gallis & Venetis consilia inire cepit. Interea Franciscus datis vadibus, accepta in vxorem Imperatoris sorore, liber dimittitur. Arimino Sigismundum Malatestam missæ à Pontifice cohortes exturbarunt. Ludouicus Pannoniæ rex victus & interfectus est, eiusq; regnũ à Turcis occupatum. Columnenses specie tuendi regni Neapolitani copias conscribunt. Hoc terrefactus nuncio Clemens, Columnæos in gratiam recipit, militem à se dimittit, & exauctorat. Pontifice præsidijs militaribus destituto Columnei Hugoni Moncatæ cõiuncti in vrbem irrumpunt. Palatium Vaticanum adeoq; S. Petri Ecclesiam diripiunt & depredantur. Rebus in hunc modum desperatis, Pontifex in Arcẽ S. Angeli se recipit, vbi commeatu deficiente

nullo-

nulloque vices Pontificis commiserante, pacis consilia cum Hugone Clemens inire cepit. Conditionibus his acceptis vt Columneos in gratiam reciperet, copiasque suas è Longobardia euocaret, concordia firmata est. Pontifex copijs Mediolano accitis in vrbem, conscriptisq; alijs copijs, Pompeium Columnam Cardinalem ab ordine Purpuratorum submouit; omnesque Columneos anathemate percussit, ac denique omnia eorum oppida & dominia direptioni & depopulationi expositi. Valdemontium è Gallia vocat, illumq; in spem regni Neapolitani pellicit & animat. Melioribus tamen quorundam consilijs eruditus in pacẽ & concordiã cum Cæsare consentit, quo factũ est, vt rursus militem à se delectum dimiserit. Mox Borbonius potente exercitu comparato contra noui fœderis leges ad vrbẽ accelerat, & in ipso vrbis ingressu fatali ictu miser occũbit. Vrbs nihilominus capta est, tantaq; strages facta, vti numquam post hominũ memoriã, ne ab ipsis quidẽ barbaris similis calamitas illata fuerit. In molem Adriani confugit Pontifex, quã Cæsariani obsident, Tandem duris tametsi cõditionibus nempe, vt Columneis quæcunq; errata condonarentur, Pontificem ad deditionem coegerunt. Post septimum captiuitatis mẽsem, Clemens immutato habitu ad vrbem veterem se recipit. Florentini fama capti Pontificis percrebescente in spem recuperandæ liberta-

libertatis reiunctur. Medicæosq; eijciunt, Clemens in amicitiam Cæsaris se denuo insinuat, quæ per coniugium Alexandri Medicæi cum Cæsaris filia renouata. Hac amicitia viribusq; Cæsaris fretus Pontifex, Florentiam obsidione cingit, vi occupat, eiusque vrbis principatu pronepotem suum Alexandrum donat Mantuam deinde profectus est, vbi cũ Carolo coram de rebus suis communicauit, ac ad eius & Franciæ Regis postulationem aliquot Cardinales creauit. Henricum 8. Angliæ Regem ob repudiatam vxorem Catherinam Imperatoris materteram excommunicationis fulmine ferijt. Cum Carolo Cæsare, reliquisque pene principibus Italiæ ac liberis ciuitatibus fœdus de nouo pacisciur contra quietis & Italicæ pacis perturbatores. Tandem Massiliam profectus, se nouo amicitiæ vinculo obstrinxit, tradita Henrico regis filio in vxorem Catherina Medicea: ad regisque obtestationem 4. Cardinales creauit. Postremò in vrbem reuersus post tam varias fortunæ vicissitudines, rebus suis compositis, vitã honesta morte concluſit 7. Calend. Octobris, anno Domini 1534. Pontificatus & anno & mense 10. die 7. Aetatis verò eius 59. mense tertio.

PAV-

PAVLVS III. PONTIFEX 224. Anno 1534.

PETRO Aloysio Farnesio, & Ioannella Caietana clarissimis parentibus natus est Paulus 3. (cui ante Pontificatum Alexandri nomen fuit) puer in omni honesta disciplina, literis latinis & Græcis diligenter excultus, ab Alexandro 6. protonotarius ac ærarij præfectus factus est, inde ad monte Flasconis Episcopatum, tum ad Cardinalitium, annum ætatis vigesimum sextum adhuc agens, promotus est. Mox Viterbij, tum agri Piceni legatio illi demandata est. In ea functione aliquot annis honorificè versatus est, sicq; prudenter consilia

consilia sua temperauit, vt nec in Hispanicas nec in Gallicas partes propensior esset. Ea viuendi arte omnium sibi beneuolentiam comparauit, sibiq; ad maiora accessum parauit: adeo vt Leone ad aliam vitam translato, proximus successor multorum precibus & opinione sit assignatus. Clemente fatis sublato non diu inuitati Cardinales eum non tam delegerunt, quàm ad dignitatem quasi hæreditario iure illi deuolutam, vocatum admiserunt, more haud vsitato, ante nouendinalia ex instituto maiorum persoluta 4. Idus Octobris, & 3. Idus Nouébris solenni ritu corona pontificia exornatus. In suprema illa Petri Cathedra exaltatus se communis patrię parentem exhibuit. Hinc quod Germani ad terrendos Pontifices tã vehementer expetere videbantur, concilium propensissimo studio indicit, locumq; idoneũ præscribit. Quam quidem ad rem summorum principũ animos & consilia inflectere Pontificẽ oportuit. Proinde Cæsarẽ Carolũ & Franciscum regem per Legatos suos in fœderis societatem coire & retinere magna contentione conatus est, mense Decembri Alexandrũ Farnesium & Guidonem Ascanium nepotes suos insulis Cardinalitijs decorauit: Deinde vt à natura in egregios quosq; viros erat propensissimus, viros eminẽtis doctrinæ & singularis prudẽtiæ viginti in purpuratorũ patrũ numerũ allegit Henricũ 8. Angliæ Regem, quod legitima

gitima vxore thoro maritali expulsa pellicem admisisset, multaque alia contra publicam Ecclesiæ pacẽ & dignitatem perpetrasset, regno, Regisque insignijs spoliauit. In expeditionem Tunetanã Cæsari 12. triremes Duce Virginio transmisit, vt verò ardens suum de rep. Christiana & Cæsare bene merendi desiderium ostẽderet Centumcellas, profectus est vniuersę classi benedicturus, læta & fausta precaturus. Carolum deinde ex Aphrica insigni victoria glorioſum, reuertentem magna cum gratulatione Romæ excepit, & ad pedum oscula admisit. Cæsaris rogatu Pontifex ad tollenda de religione disidia, errores qui sensim vniuersam Germaniam peruadebant, conuellendos concilium in proximum annum 1537. Mantuæ indixit, certis postea de causis Vicentiã transtulit, Turcis Dalmatiam ferro & flamma vastantibus solemnes supplicationes indixit Pontifex, quas ipse nudis pedibus obiuit, misisque ad omnes Principes Legatis rogauit, vt consociati in capitalem & iuratum Christiani nominis hostem arma corriperent. Interea Petrum Laisium Ecclesiastici exercitus Ducem creauit, Vrbem mœnibus sepsit. Fœdere percusso inter Põtificẽ, Carolũ, & Venetos, ac confirmato, classis copiosa instructa est, quæ deinde infœlici quamuis successu apud Actianum promontoriũ signa cum hoste contulit. Apud Mycea Prouinciæ vrbẽ Cæsari & Frãcisco regi con-

conuentum indixit Pontifex ad mutuum colloquium, vbi eos coram ad pacem & concordiam paruo tamen fructu est adhortatus. Ad vrbem reuersus nuptias inter Margaritã Austernatam & Octauium nepotem, quem Camerini Ducem beneficiario iure creauerat, celebrauit. Perusinos qui ob auctum salinarum vectigal defecerant, armis perdomuit. Ascanium Columnam contumacius renitentẽ ditione spoliauit. Cæsari ad Algerianam expeditionem traiecturo, apud Lucam iterum occurrit Pontifex, ac cum eo de celebrando concilio, alijsque Reipub. Christianæ negotijs communicauit: vnde in sequentem annum Tridenti concilium indixit, quod postea Bononiam, ob pestem grassantem, translatum est Ecclesiæ dominium peruagatus, denuo cum Cæsare apud Rupetum de ineundæ pacis consilijs, & fœdere cum Gallis paciscendo contulit: Ibidem nepoti Octauio Mediolanensem principatum à Carolo grandi pecunia ob id oblata postulauit, frustra tamẽ & sine successu. Romã demum reuersus, iterum publicas supplicationes indicit, ad pacem Ecclesiæ impetrandam, quas quidem fuisse efficaces argumenuo est, quod inter duos potẽtissimos Monarchas Cæsarem & Gallorum Regem, post multorum annorum sęuissima bella concordia firmissima inita est, anno Domini 1544. Cùm nullis cõsilijs aut precib. adduci posset.

Paulus

Paulus vt ad Concilium continuandum Episcopos Tridẽtum reuocaret. Carolus anno sequente conuentu Augustæ habito certa Religionis capita, quæ omnes obseruarẽt tantisper, donec perficeretur Concilium euulgauit: vnde interim seu interreligio nuncupata est, quasi certũ ad tempus latum durare debuerit, quæ sane res Pontificem malè habuit. SOCIETATEM NOMINIS IESV Ignatio Loyla nobili Hispano auctore institutam Paulus comprobauit & confirmauit, quàm viri aliquot eruditione & pietate præstantes mirificè auxerunt & propagarunt: In quibus fuêre Petrus Laines, Franciscus Xanier, Franciscus Borgia, olim Gandiæ Dux, P. Canisius, Franciscus Toletus Cardinalis, ac alij complures, qui diuturnis meditationibus vtilem toti Reipub. Christianæ praxim tradidere adolescẽtes ad omnem pietatem efformando, verbum Dei predicando, ac ad conuellẽdas hæreses, moresque reformandos, Euangelij lumen in extremas vsque Indorum, & Americæ prouincias proferẽdo. Qua in re diuinæ misericordiæ & prouidentiæ consilium libet admirari, eodem anno 1517. quo scilicet impurissimus iste Lutherus in Ecclesiæ potestatem debacchari cœpit ac indulgẽtias conuellere Ignatius in arce Pompeiopolicana vulneratus ex vili vanitatis mancipio in strennuum Christianæ

militiæ Ducem à Deo est electus cõtra Lutherum & eius assecias, Ecclesiæ propugnator acerrimus futurus. Porrò vt ad Pontificẽ Paulũ sermo recurrat, Petro Aloysio è viuis sublato, non ita post magno mœrore, & acerbo animi dolore confectus, occubuit 4. Idus Nouembris 1549. ætatis anno 71. mense 8. die 10. Decursis autem in Pontificatu 15. annis, & 28. diebus: sepulturam apud S. Petrum sortitus est. Pontificia dignitas trimestri, vne die minus, viduata remansit. Vir fuit sagacissimus ad exploranda hominum ingenia & propensiones solertissimus; In præstantissimis disciplinis, tum verò maximè in Astrologia impensè eruditus; in viros doctos officiosissimus & liberalissimus: multis ac egregijs animi dotibus perornatus. In suos tamen paulò quàm par esset propensior, & profusior, quos ad maxima quæque euehere & extollere maximè laborauit. Etenim præter ea quæ iam recensita sunt, Parmam & Placentiam vrbes, Ecclesiæ Romanæ beneficiarias, Petro Aloysio addixit.

IVLIVS

IVLIVS III. PONTIFEX 225. Anno 1550.

IVlius 3. vir magnæ eloquentiæ, & eruditionis laude clarissimus, Romæ natus est: cui nomen fuit Ioannes Maria de Monte, quod à Monte Sancti Sabini in agro Aretino originẽ duxisset. A Paulo 3. infulis Cardinalitijs redimitus, eius nomine frequentes legationes obiuit, & in Concilio Tridentino præfedit. Pontificiam dignitatem adeptus anno 1550. 7. Idus Februarij. Iulij tertij nomine se voluit inscribi, in grati animi significationem & honorificam memorationem quondam Iulij secundi, à quo suarum fortunarũ initia manasse

dicebat. Mox ipso Cathedræ B. Petri, solenniter est inauguratus, ac deinde sequente festo Apostoli Matthiæ, anno Iubilei initium dedit; quem magna religione, iuxta maiorum instituta solenni ritu transegit, vsque in diem Epiphaniæ anni subsequentis continuando. Oecumenicam Synodum Tridétinam in qua sub Paulo tertio anteccssore suo ipse præsederat inchoatam, publicis literis haberi iussit. Carolo Quinto Imperatore per literas idipsum etiam rogante, ad Religionis quæ diu in Germania viguerunt tollenda dissidia. Annonæ graui penuria laborante Roma; sollicitè triticum aduehi curauit. Pacis & otij amantissimus, dum se ad quietem comparat, ecce inopinata belli non leuis occasio: Nam Octauius Farnesius, cui ex communi patrum purpuratorum decreto, Pontifex Parmam reddiderat, in Gallorum clientelam se tradidit, vrbemque gentis illius præsidio communiuit. Id igitur grauatè ferens Iulius, Octauio bellum intulit. Cæsaris potentia & armis fretus, Cardinalemque Farnesium eius fratrem Florentiam relegauit. Bellum hoc magno multorum incommodo per annum integrum tantisper sæuijt; donec Ioannes Baptista de Monte Iulij nepos Sclopeti ictu occumberet. Cuius mors Pontificis animum grauiter perculit, illiqúe belli tædium ac meliores de ineunda pace curas iniecit, vnde & pax secuta est. In Oriente

mortuo

mortuo Simoni Mamæ, Orientalis Ecclesiæ trans Euphratem administratore generali, ac ad Indiam vsque Metropolitano; fideles suffecerunt Simonem Sulakam: cui morum integritas, omnibus spectata fides, insignisque eruditio, ad eam dignitatem aditum parauerant. Hic proinde publicis Ecclesiæ Orientalis literis,& honorifico testimonio munitus ad sedem Apostolicam,longis & laboriosis itineribus venit,cõfirmationem & auctoramentum postulaturus. Ibi ad Iulij pedes prouolutus, proprio & Ecclesiæ suæ nomine publicã fidei confessionem edidit, reuerẽtiam & obedientiam præstitit & iurauit, sibi quoque & cõcredito gregi Apostolicam benedictionem petijt & obtinuit. Quo profecto magis pudere debet Europæos qui vel ab obedientia, fide vel disciplina sanctæ Romanæ Ecclesiæ defecerunt, vel antiquam pietatem & obseruantiam impiè abdicarunt. Senensium animis ad arma conuersis, noua dissidia inter Cæsarem & Gallorum Regem Pontifex subodorans,ad vtrosque pro concordia Legatos frustra misit. Vrbi tuendæ octo milia peditum, Duce Camillo Vrsino conscripsit & assignauit. Interea dum in Etruria omnia armis circumsonarent Viterbum concessit, pacis inter vtrumque principem conciliendæ spe studio. Verùm re infecta,ad vrbem remeare coactus est. Duci Cosmo cõtra Senenses suppetias

tulit, cui gratam vicissitudinem vt rependeret Cosmus, oppidum Montis Sancti Sabini, sub Marchionatus titulo, Balduino Pontificis fratri addixit. Philippum Caroli V. filium cũ Maria Anglię Regina coniugatum, regno Neapolitano inuestiuit. Postremò ad otiũ & quietem conuersus est Iulius, vt dolores ex podagra superaret, at incidit in febrim fatoq; cessit, anno Domini 1555. ætatis verò 67. mense 6. die 14. post quinque Pontificatus annos & 10. dies. Eius corpus ad Sanctum Petrum illatum est: vacauitque sedes diebus septemdecim. Multa in vtramque partem Iulio tribuuntur, nimirum quod liberalis, affabilis, facetusq; foret, ad iram præceps, ad placabilitatem facilis. Quod verò deposita grauiorum rerum cura non nihil indormisceret, effusiusq; voluptati se daret, interdum ac dicacitati, quæ ad scurrilitatem pene declinaret, eius gloriam non nihil obscurat.

MAR-

MARCELLVS II. PONTIFEX 226. Anno 1555.

MARCELLVS ex oppido Politiano in Etruria originem duxit, cuius Richardus Ceruinus & Cassandra Bencia parentes fuerunt, tametsi in oppido Montis Fani Marchiæ Anconitanæ natus sit. Primùm Cardinali Farnesio adhuc adolescenti, à Paulo tertio datus fuit, cuius opera in scribendis epistolis vteretur, quẽ etiam legati officio in Hispaniam proficiscentem comitatus est Nuncij Apostolici exornatus dignitate: quo tempore præter omnem suam expectationẽ Cardinalis

tituli Sanctæ Crucis renunciatur. Iulio è viuis sublato 39. Cardinalium communi studio nauis Petri gubernaculis admotus, & 5. Idus Aprilis 1555. dieq; immediatè sequenti coronatus est. Prohibuit cõsanguineis ne Romam peterent, duosque ex fratre Alexandro nepotes, quos ibidem educabat, à nomine voluit adiri. Dum verò Pius pontifex multa ad vrbis & Curiæ reformationem mente agitaret, Apoplexia correptus ad beatiorem vitam migrauit vltima eiusdem mensis, annum agens 55. Pontificatus verò die 22. Corpus eius apud Sanctum Petrum sepulturæ demandatum est. Eius obitu boni omnes impensè doluerunt. Erat siquidem vir summæ integritatis & modestiæ.

PAV-

PAVLVS IIII. PONTIFEX 227. Anno 1555.

PAVLVS 4. Neapolitanus illustri Caraffæorum familia oriundus, ante Pontificatus consecutionem Ioannes Petri vocatus, primis ætatis suæ annis ad literas animum applicans doctissimus euasit, atq; per Iulium secundū Archiepiscopus Theatinus nominatus est: Subsequentibus temporibus in Angliam missus legationis munere ibidē functus est. Postea Episcopatum Brundisinum sibi oblatum non solùm recusauit, verùm etiā Theatinū, quem iam possidebat, sponte deseruit, monasticamq; vitā amplexus, ordinū presbyterorū Theatini

vocatorum instituit. Cardinalitiam dignitatem sibi à Paulo tertio oblatam suscepit, Episcopatumq; Theatinum, quo se voluntariè antea abdicauerat, iterum recepit; Cardinalis factus: Paulo tertio persuasit, vt iudicium inquisitionis institueret. Ad extremum 10. Cal. Iunij, ipso Ascensionis die Pontifex creatus est, sequentique Dominico coronatus. Decretum sanxit, quo beneficia illegitimè possessa vel pecunijs cõparata reddere præcipiebatur. Iudæos in vna parte ciuitatis reclusit, quibus ne vsuram exercerent vetuit. Crocei coloris pileum, quo à reliquis internosci possent, ipsos ferre voluit. Decreta plurima à Iulio 3. stabilita rescidit. Romæ Vrbini Ducem præfectũ instituit, Clero, quo ad victum & vestitum leges præscripsit; Pœnitentiæ officiũ ipsemet reformauit, beneficia & Ecclesiæ bona non alijs quã viris bene doctis cõferri voluit. Trium vrbis cõseruatorum authoritatem amplificauit. Priuilegia Pontificum prædecessorũ populo concessa confirmauit, eique Tibur concessit. In cuius grati animi protestationem populus in Capitolio eidem statuam erexit, centumque nobiles, custodes attribuit, quos omnes equestri ordine cohonestauit. Paulo post inter eum & Philippum Hispaniarum regem orta est discordia, cui Galliarum regis fretus auxilijs, bellum in regno Neapolitano per Ducem Albanum defenso indixit. Anno

integro

integro, postquã prælio sese lacessiuissent, quæ Pontifici parum feliciter succesſerãt, ab armis abstinere, & ad pacem ineundam confugere coactus est: Inter arma Marcum Antonium, eiusq; patrẽ Ascanium anathemate innodauit, eosq; omnibus possessionibus, quas in ditione Ecclesiastica obtinebant, priuauit; quas nepoti suo Ioanni Caraffæ, sub titulo Paliani Ducatus attribuit. Pace tandem composita, Dux Albanus summo Pontifici obedientiam præstiturus, ad eum humiliter profectus est, à quo absolutionem consecutus, maximam eius humanitatem expertus fuit. Porrò ad inquisitionem conuersus, eidem 16. Cardinales addixit, quorum primarium locum Cardinalis Alexandrinus tenebat. Catalogum librorum hæresi infectorum publicauit. Legatione Anglicana Cardinalem Polum priuauit, Cardinalemq; Moronum in vincula coniecit. Strictissimè præcepit, vt omnes Religiosi & Monachi è clausstris suis egressi, ad proprium monasterium reuerterentur. Translationem imperij Ferdinando per Carolum factam nulla ratione approbare voluit. Auditis suorum cognatorum & propinquorum enormibus sceleribus, in eos grauissime animaduertit, illosque ex vrbe eijciens, omnibus gradibus spoliauit. Diuersis ordinationibus 19. Cardinales creauit. Cathedræ Sancti Petri festum innouauit. Tandem tres & octoginta

annos

annos, vnumque mensem natus: quarto Pontificatus sui anno, mensibus tribus, exceptis diebus tribus, 15. Calendas Septembris è viuis excessit. Corpus eius apud Sanctum Petrum sepulturæ honorem accepit. Eius morte sedes quatuor mensibus & septem diebus vacauit. Populus eius odio inflammatus statuam eius deiectam triduo per vrbem vicatim pertraxit, postremoque in Tyberim proiecit, effractis inquisitionis carceribus, captiuisque inde liberatis.

PIVS

PIVS IIII. PONTIFEX 228. Anno 1560.

PIVS IIII. Bernardini Mediceæi & Ceciliæ Sorbelloniæ Mediolanensis filius, ante Pontificatum Ioannes Angelus vocatus fuit, Iuuenilibus annis philosophiæ & iurisprudentiæ operam dedit. Posteaquam pluribus officijs & dignitatibus exornatus fuerat per Paulum tertium Cardinalitia dignitate adauctus est, exinde per Iulium tertium Legatus ad militiam cõtra Octauium Farnesium susceptam electus est. Ipsa verò Natiuitatis Domini vigilia, anno 1560. Paulo quarto è vitis sublato summus Pontifex declaratus est, & ipso Regalium

Regalium die coronatus. Inito Pontificatu, omnia delicta & excessus in prædecessorem commissos populo remisit. Imperium Ferdinando per Carolum fratrem traditum confirmauit. Plurimos propter hæreseos crimen, vel suspectos, vel delatos absoluit, ac inter cæteros Cardinalem Moronem. Puniturus autem Pauli 4. amicos & familiares, sententijs in eos latis ob crimina quæ ipsis obiecta fuerant; Cardinalem Carafam strangulari curauit, Comitemque Montorij, Allafanum, Leonardumque Cardinalem capite plecti. Nepotes suos fratrum sororumque filios Romam aduocatos maximis honoribus & amplissimis beneficijs vel exornauit, vel nobilissimè matrimonio iunxit. Vt verò communibus malis mederetur, finis generali synodo Tridentinę, eius studio ac vigilantia impositus est, acclamationesque patrum in ea fuêre: Beatissimo Pio Papæ Domino nostro, sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, anni multi, ac memoria æterna. Placet etiam hîc adscribere versus Sanctorum & admirabilium Patrum, qui in hac sacrosancta Synodo confederunt, quos recitantem aliquando audiuimus V. C. Petrum Oranum Sermi Electoris Ernesti Consiliarium, & Ciuitatis Leodicensis Scabinum.

CVM *mihi linigeræ speciesfit visa cohortis,*
Maius & humano frontis honore decus.

Anxia

Anxia mens dubijs pulsabat pectora curis,
Secum agitans, homines crederet, anne Deos.
Sermo, oculi, vultus, gestus, cultusq; animusque,
Omnia diuini plena stuporis erant.
Is nitor in vultu, gestu decor, ore venustus,
Vis oculis, verbis gratia, mente vigor:
Dum loca, dum comites, dum membra simillima nostris
Adspicio, rursus mens negat esse Deos,
Dum negat, adfirmat, dubitat mẽs anxia, Phœbus
Perplexo inuoluit talia verba sono.
Dissimiles, similesque vides, hominique. Deoq;
Non Di, non homines sunt, & vtrumque vides.
Qui pote? diuina nempe hoc te dicere velle
Auguror, esse homines corpore, mente Deos.

Solutis conuitijs, Concilioque fine imposito, prælatis etiam omnibus ad propria remissis, plurima loca restaurare cœpit, quæ precedentibus bellorum fragoribus diruta, ruinam minitabantur; Romæ portam & platæam dictam piam reparauit. Prælum Manutij authoris vulgatissimi restituit. Arcem Capitolinam restaurauit, aliaque quam plurima loca refecit, quibus omnibus sumptibus vt satisfaceret, montem perpetuum instituit, numerum etiam equitum, Pij appellatorum ordinauit. Cùm verò inter Legatos Franciæ & Hispaniæ de primatu in præsidendo quæstio suborta

fuisset,

fuisset.præeminentiam vni non sine alterius indignatione adiudicauit. Melitæ obsidione cinctæ militibus pecuniaque subuenit. Cùm tandem diuersis ordinationibus 45. Cardinales creasset, in quarum vna Laurentium Massam nunquam inducere potuit, vt secretariatum Venetorum, vt vocant, acceptaret. 5. Idus Decembris anni 1563. mortuus est. Anno ætatis suæ 66. mense octauo, die nono, Pontificatus verò sui anno sexto, exceptis sedecim diebus. In Sancto Petro sepultus est. Sedes 28. diebus rectore orbata remansit.

PIVS

PIVS V. PONTIFEX 229. Anno 1566.

PIVS V. Insuber prope Alexandriam in vico quodam Boico ab incolis nuncupato, ex nobili Glieslerlorum prosapia natus. In iuuentute monasticam vitam professus est, in eoque statu maximos suis laboribus & vigilantia fecit progressus, à Paulo quarto primũ Episcopus, deinde Cardinalis creatus est, & supremus inquisitorum declaratus: Tandem Pio quarto è viuis sublato, præter omnium expectationem 7. Idus Ianuarij Pontifex renunciatur. Borromei Columnæque Cardinalium precibus, Pij quinti sibi nomen imposuit, ac

16. Calen. mensis insequentis, qui dies ei natalis erat, coronã Pontificiam accepit. Pileum suum Michaeli Bouellino, suo ex sorore nepoti cessit, qui Cardinalis Alexandrinus nominatus est. Porrò vt gratum animi sui affectum, quò erga Paulum 4. promotorem suum ferebatur manifestaret, Cardinalem Caraffam eius nepotem, sub Pio 4. vt ante iam dictum est, morte affectum, absolui procurauit, quod non vsque adeò criminalem inuenisset. Imperatori Ferdinando bellum contra Turcas in Hungaria gerenti, suppetias tulit. Officio Inquisitionis tria aureorum millia adiecit, ex certis arcibus colligenda. Bullas cõtra aulicos & Ecclesiasticorũ luxum feuerè publicauit. Iudæum quendam locupletissimum, quem ad Christianam religionem conuerterat, baptisauit, sueq; familiæ adoptatum liberè suis bonis frui permisit. Episcopos omnes ad propriam residentiam redire mãdauit. Solo suo verbo obsessum à malo dæmone liberauit. Contra hæreticos in Gallijs succrescentes Catholicis auxilium per Comitem sanctæ Floræ misit, qui etiam victor inde redijt. Cosmæ Medicæo titulum summi Ducis attribuit. S. Thomam Aquinatẽ in numerum sanctorum Ecclesiæ Doctorũ retulit. Diuersis ordinationibus 22. Cardinales creauit. Fœdus inter Regem Catholicum & Venetos ad optatum finem fœliciter deduxit, vnde omnium celeberrima contra Turcas nauali victoria

victoria Nonis Octobris, anno 1571. consecuta est, quem diem solennem & festiuum esse voluit. Plures Legatos ad Principes Christianos destinauit, quibus eos ad maius bellum Turcis inferendum inflammaret. Verùm grauissima in reddenda vrina difficultate pressus, Calen. Maij anno 1572. cum maximo omnium dolore è viuis excessit. Pontificatus sui anno 6. mense 4. demptis sex diebus. Sepultus est apud S. Petrum. Sedes 12. diebus vacauit. Maximo semper zelo, quoad vixit, Christianam remp. promouere conatus est. In victu frugalitatem, in audientijs assiduitatem, erga pauperes amicitiam seruauit; ab omni ambitione alienus; ab omnibus Principibus summa ipsi reuerentia exhibebatur, nullusque erat qui ei & satisfacere & placere nō contenderet. Quod ad iustitiæ administrationem spectat, ad seueritatem propensior habitus est.

GREGORIVS XIII. PONTIFEX 230. Anno 1572.

GRegorius 13. patria Bononiensis, Christophorũ Boncompagnum & Angelum Marescalcum maiores & parentes habuit, cui Hugonis nomen in sacro baptismate est impositum, honestè educatus est, & literalibus disciplinis optimè instructus fuit. In iurisprudentia sub præstantissimis illius sæculi doctoribus maximos fecit progressus, doctoralem q; lauream suscepit; multis officijs & dignitatibus sub varijs Pontificibus magna cum laude perfunctus, à Pio 4. in numerum Cardinalium sub titulo 5. Sixti relatus est, ac in Hispaniam legatus,

legatus, Pio 4. vita defuncto Hispania Romam reuertitur, tamq; sanctè, piè, & integrè vitam & mores instituit, vt Pio 5. e viuis sublato successor renunciaretur 13. Maij 1572. ipsoq; Pentecostes die inauguratus. Pontificiam dignitatem pro tuenda & amplificanda Repub. Christiana admodum egregiè sustinuit, qua ratione expeditionē aduersus Turcas promouere, confœderatos Principes animare, & pecunia alijsque subsidijs liberaliter iuuare cœpit Marco Antonio Columna classi Pontificiæ præfecto. Verum enim quia in Oriente minus prosperè res succedebant, sequente anno ad Regem Catholicum Archiepiscopum Lancianú, ad regem Christianissimum Cardinalem Vrsinum Legatos misit, qui eos in societatem fœderis adducerent. Sed longè aliter quàm proposuerat accidit; siquidem Veneti fœdus deferentes inducias cum Turca pacti sunt. Quo intellecto optimus Pontifex omnes cogitationes, curas, consiliaque eo contulit, vt Imperatori succurreret, Regem Christianissimum & Catholicū ad extirpandos Lutheranos & Caluinistas, quibus potuit medijs & sumptibus adiuuit. Idem quoq; Archiduci Carolo & Melitensibus pietatis officium præstitit, ad fidem Catholicam tuendam propagandamque 22. Collegia in varijs Regionibus erexit atq; dotauit. Annonæ conseruandæ ergô publica granaria in vrbe constrúi curauit. Vias aperuit &

strauit. Publicæque commoditati limpidissimos in eam fontes deriuauit. Anno 1575. confluentibus ad vrbem religionis studio exteris, annonæ paterna vigilantia & charitate prouidit. Tumultuantibus Genuensibus Cardinalem Moronú summæ prudentiæ & authoritatis virũ legatũ misit, qui eorũ animos ad concordiam reduxit. In diuersas factiones ob regis electionem distractos Poloniæ ordines vnanimes reddidit; vnde Bathoreus ad capessenda regni gubernacula electus est, qui Pontifici postmodum obedientiam iurauit & per oratorem præstitit. Peste Italiam totã peruagante ad spiritalia medicamẽta indicto Iubilæo perfugit. A contendentibus inter se acriter Polonis & Moscouitis, legationem perhumaniter excepit, ac Antonium Possevinum oratorem misit, qui vtriusq; Principis animum summa dexteritate reconciliauit. Synodum Tridentinam Pauli 3. temporibus cœptam & adfectã, Pij verò 4. absolutam & confectam, ab omnibus obseruari mandauit, veluti orbi terræ necessariam, seminariaque varijs locis religionis Christianæ amplificandæ ergò plurima instituit, quod & in hac patria tua Leodicensi Ernestæ Elector magnanimè Germaniæq; decus ac ornamentum insecutus es renouândæ restaurandæque Ecclesiasticæ disciplinæ gratia, quæ sanè collapsa nullo vtiliori ac solidiori, quàm seminariorum remedio potest restitui. Sacellum

lum sumptuosissimum apud S. Petrum, quod Gregorianum dicitur, extruxit & dotauit, corporeque magni doctoris Gregorij Nasianzeni nobilitauit. In Palatio porticum siue ambulacrũ artificiosè poliri varijsq; picturis adornari curauit. Anno 1581. Calendarium emendauit anni cursu ad Solis motum reducto, sub eodẽ Pontifice 1585. 22. Martij Iaponiæ Principum legati post longam trium annorum & amplius nauigationem vrbem ingressi, principũ suorum nomine S. Sedi Apostolicæ obedientiam iurarunt & præstiterunt. Est autem Iaponia in extrema Indiæ parte vsq; adeo vasta vt amplitudine Italiam duplo excedat, tantaq; locorum intercapedine à nobis disita, vt eius incolæ nobis antipodes dici possint. Tandẽ post exhibita reip. Christianæ tot & tanta beneficia Gregorius curriculũ vitæ suæ beata morte absoluit Põtificatus anno 12. mense 10. die 27. diuersis tẽporibus 33. Cardinales creauit, in quibus fuit optimus Princeps Gerardus à Grosbeeck Leodicensis Episcopus & Antistes prudentissimus ac eloquentissimus Senatoriæ dignitatis Romanæ decus & ornamentum, qui Principis viri erga patriam in ea pacificè administranda, erga vicinos in sedandis componendisq; bellorum ciuilium tumultibus intestinisque disidijs ita se expresit officiumque exercuit, vt plurimorum meliorumque iudicio sacrati viri existimationem atque amplitudinem

tudinem suo merito supergressus esse censeatur. Corpus eius Sacello Gregoriano illatum est. Vir fuit sanè mãsuetus, benignus erga pauperes ac eos qui Religionis causa exulabant; in responsis breuis, acutus, & grauis; ad audiendum patiens; omnibus accessu facilis; studijs pijs & maximè legum sic addictus, vt quicquid temporis contemplationi grauibusque curis supereſſet lectioni & studio impenderet.

XISTVS

XISTVS V. PONTIFEX 231. Anno 1585.

XIstvs obscuris parētibus, oppido mōnis alti in Marchionatu Anconitano natus, & Felicis nomine vocatus est: Adolescens ad institutum Franciscanorum, quos Conuentuales vocant, transijt. Quo in ordine eos fecit progressus, vt egregiam eruditionem cum singulari eloquentia compararet, magistraliqúe laurea decoraretur. Vicarius Generalis ordinis sui à Pio quinto creatus, inde Episcopus S. Agatæ, mox Cardinalis, postremò in demortui Gregorij locum 24. Aprilis 1585. Pontifex suffectus est, Calendisque Maij solenniter

coronatus. Vt verò Pontificis partes fœlicius sustineret, indicto vniuersali Iubilæo diuinam opem implorauit Iaponiæ Principes magnifico & regio apparatu, quamdiu Romæ morati sunt fouit, & amplis congiarijs honoratos dimisit. Italia cũ nefariorum prędonũ, exulumq; incursionibus miserè vexaretur, vsqueadeo seuerum, imo verò terribilem & tremendum se præbuit animaduersorẽ initio sui Pontificatus: vt postmodum magna quiete & libertate, nedum Roma, verùm etiã Italia frueretur. Cùm ad vrbem exornandã animum adiecisset, tam varia, rara & magnifica præstitit, vt in eo genere officij antecessores suos longo interuallo post se reliquerit. Tria palatia exædificauit, vnũ in vinea, alterum ad mõtem Caballũ, tertium in Laterano. Obeliscũ altitudinis 114. palmarũ, vltra basim antiquæ superstitionis monumentũ à Vaticano in mediam S. Petri aream translatũ Christo dedicauit, aliosq; vetustate sepultos, eruit & operoso labore, alterum apud S. Mariam Maiorem, alterum ad Lateranum & tandem iuxta S. Mariam de populo erexit. Sacellum egregia architectura extruxit, ad quod Saluatoris nostri præsepe transtulit. Xenodochium seu hospitale ædificatum & perpetuo censu dotatum pauperibus alendis nũcupauit. Bibliothecam Vaticanam in splendidiorem cõmodioremq; locum transtulit, eamq; mirificè auxit & illustrauit. Ecclesiam S. Hieronymi

mi Illyricæ nationi constructuit. Aquam fœlicē seu fontem in Quirinali deduxit, & varios alios fontes publicæ commoditati direxit. Lauacrum ex aqua fœlici prope viam Piam muris cinctū mulierculis pauperibus ædificauit. Vias nouas amplissimas aperuit & complanauit. In laterano locum diuersis picturis cōcinnatum ad populo benedicendum destinauit. Scalam sanctam pretioso salutariq; Christi sanguine cōspersam in nobiliorem locū transtulit, ac præclaris ornamentis ad excitandam pietatem insigniuit. Aedem S. Sabinæ sacram reparauit. Tholum quem vulgò Cupulam vocant, incredibili sumptu perfecit, vrbi tā multa præstitit, vt eam nō exornasse modo, sed etiā renouasse meritò censeatur Montem Altum muris vndiq; septum ciuitatis honore & Episcopali dignitate donauit. Lauretum toto terrarum orbe celeberrimum, in ciuitatem Episcopalem, & Ecclesiam in Cathedralem erexit. Proneptes suos nobilissimis Columnēsiū & Vrsinorū familijs matrimonij fœdere coniunxit. Ac tametsi in omnibus supradictis incredibilem auri vim insumpserit, tamen expeditioni terræ sanctæ quā meditabatur tantas opes congesit, vt summa quinq; myriadū auri in publicum ærarium illata sit. Decreuit ne plures quàm 70. simul essent Cardinales, atq; inter illos ad minimū quatuor Theologię Doctores, qui ex ordinibus Regulariū Mendicantium

cantium assumerentur: & quod nō alio quàm ieiuniorum mensis Decembris tempore crearentur. Cardinales diuersis temporibus 33. creauit. Sanctum Bonauenturam, Doctorem Ecclesiæ nominari voluit, eiusque festum sub officio duplici celebrari. Varia sanctorum festa in Calendarium retulit. Inopinato morbo correptus, adempta statim loquela, è vita excessit 27. Augusti anno 1590. cuius mortem non improbabile est solis eclypsi fuisse significatam. Sepultus est apud S. Petrum, post annos quinque, menses quatuor, dies tres sui Pontificatus. Vacauit sedes dies 18.

VRBA-

VRBANVS VII. PONTIFEX 232. Anno 1590.

QVAM honorificam de se bonis omnibus præbuisset expectationem Ioannes Baptista Castaneus, eius in Pontificatum successio multorum votis expetita, magnis studijs procurata summo Cardinalium consensu facta, eiusque mors non vrbi tantùm, sed & vniuersæ Ecclesiæ luctuosa testatum fecere. Natus est Romæ patre Cosmo Genuensi, ac educatione accurata variarum sibi rerum scientiam comparauit. In Hispania Nuncij Apostolici munere magna cum laude perfunctus, à Gregorio XIII. Cardinalis Sancti Marcelli creatus,

& ad Bononiensem legationem destinatus. Xisto tandem in Pontificatu successit 15. Septembris,& Vrbani nomine appellatus: natura fuit mansuetus, vitæ inculpatæ, & morum sanctimonia clarus: complexione tamen melancholica,& ad morbum inclinante. Pontificatum vltra 11. dies non protraxit. Eius obitu Sedes Apostolica duos menses & nouem dies vacauit.

GRE-

GREGORIVS XIIII. PONTIFEX 233. Anno 1590.

GREGORIVS 14. Franciſcum Sfondratú Senatorem Mediolanẽſem patrẽ habuit & Nicolai nomẽ in ſacro fonte conſecutus eſt. Optimarum diſciplinarum & iuriſprudentiæ ſtudio Peruſij & Patauij non prænitendam operam dedit. A Pio 4. Epiſcopus Cremonenſis, & à Gregorio 13. Cardinalis creatus, ac tandem Vrbano ad fœliciorem vitam tranſlato, poſt duorum & amplius menſium inter regnum 5. Decemb. ad Pótificatus faſtigiũ pertigit. In grati animi & obſeruantiæ in Gregorium 13. ſignificationem. Gregorius voluit appellari

pellari. Eius Pontificatus ad 15. Octobris anni sequentis, duntaxat fuit continuatus. Quo factum est, vt optima quæque consilia, quæ animo conceperat, & quorum expectatione multos sustentabat, exequi non valuerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abrupit, fuit febris continua, reddendi lotij difficultas ex calculo nata. Quinque Cardinales creauit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes post eius mortem dies 15. vacauit.

INNO-

INNOCENTIVS IX. PONTIFEX 234. Anno 1591.

MAgno voluntatum consensu Innocentius 9. Cathedram S. Petri conscendit die 29. Octobris. Ante Pontificatum Ioannes Antonius Faquinetus nomen illi fuit. Cardinalis sanctorum 4. Coronatorum à Gregorio XIII. factus est. Summa integritate, variaque in omnibus pene facultatibus eruditione imbutus, rerũ vsu & longa praxi edoctus omniũ animos in meliorẽ spẽ erexit. Verũ grauis annis, curis, & laboribus fractus, postquã populũ à plerisq; grauaminibus liberasset, duosque ex fratre pronepotes in Purpuratorũ ordinẽ adsciuisset ad quietiorẽ vitã migrauit 29. Decẽb.

CLEMENS VIII. PONTIFEX 235. Anno 1592.

CArdinalium qui in conclaui sufficiendo Pontifici diligentem operam impendebant discrepantia vota electionem in trigesimum vsque diem protraxerunt. Tandem magno consensu & studio Hippolitus Aleobrandinus Cardinalis Sancti Pancratij & summus pœnitentiarius Pontifex 30. Ianuarij 1592. est renunciatus. Erat siquidem magnæ apud omnes æstimationis, quod incredibili prudentia & dexteritate res Ecclesiæ difficilimas & grauissimas cõfeciſſet Clementis nomen illi impositum est. Princeps ijs animi dotibus præditus

tus,quæ in summo viro & vniuersali pastore desiderari possunt. Henricum Nauarræum Galliæ Regem ab excõmunicationis anathemate absoluit. Sigismundo Transyluaniæ Principi inuictissimo, qui murum sese in Oriente pro domo Israel fortiter opposuit,Moldauis quoque& Valachis,vt Turcæ iugum excuterent author fuit,Cæterosque Orbis Christiani Reges & primates ad concordiam inter se & arma in barbarum dirigenda non intermissis laboribus paterna sollicitudine adhortari non desistit. Quem si Deus vti ætate est adhuc vegeta,in multos annos incolumẽ seruet,ausim ominari tam multa & præclara gesturũ, vt nec successoribus sanctitatis & rerum bene gerendarum exempla nec scriptoribus scribendi argumenta sint defutura.

FINIS.

Paulus [illegible]tus pontifex maximꝰ
aº 160[illegible] die. Roman[illegible]

Quia Romanorum Pontificum ex Platina aliorumq; historijs in Epitomen redactæ, eorundémque imagines studio & industria Ioannis à Glano Leodicensis ad viuum expressæ, seriem succedentium sibi mutuo Romanorum Pontificum, veluti digito ostendunt, eandemq; fidei & Sacramentorum doctrinam per eos sine vlla interruptione, semper fundatam fuisse clarissimè demonstrant (quod ad Christi fideles in Catholica Romana vera Christi Ecclesia retinendos maximum momentum habet) vtiliter admodum typis excudentur.

Ioannes Chapeauille
Canonic. Leodic.

SPECIAL 86-B
26798

GETTY CENTER LIBRARY